This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

14 DAYS
BOOK

Digitized by Google

Philob 221

BOUGHT WITH
THE INCOME FROM
THE GIFT OF
MRS. HARRIET J. G. DENNY,
OF BOSTON.
17 Jan. 1894.



Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Arch.

Vienna, Austria – Universität

DISSERTATIONES

PHILOLOGAE

VINDOBONENSES.

VOLUMEN QUARTUM.

VINDOBONAE
SUMPTIBUS ET TYPIS CAROLI GEROLD FILII
MDCCCLXXXIII.

Digitized by Google

Philol. 221

HARVARD COLLEGE
JAN 17 1894
LIBRARY

Dennis fund.
(IV.)

Digitized by Google

HOC VOLUMINE CONTINENTUR:

pag.

De tertio Andriae exitu, quem exhibet Codex Erlangensis CCC., disputavit *Fridericus Falbrecht* 1

De coincidentia eiusque usu Plautino et Terentiano, scripsit *Carolus Sigmund* . . 39

De imaginibus similitudinibusque, quae in Claudiani carminibus inveniuntur, disputavit *Carolus Muellner*. 99

Digitized by Google

Digitized by Google

DE TERTIO ANDRIAE EXITU

QUEM EXHIBET

CODEX ERLANGENSIS CCC.

DISPUTAVIT

Fridericus
FRIDERICUS FALBRECHT.

Digitized by Google

Digitized by Google

Cap. I.

De codicis Erlangensis CCC. condicione atque aetate.

Ad rem propositam ipsam priusquam adgrediar, liceat mihi pauca praefari de codicis, in quo extat exitus, quem tractabimus, ratione ac proprietate. nam cum duo omnino Andriae Terentianae exitus viris doctis noti essent, M. Zucker tertium invenit in codice, qui est inter libros manu scriptos bibliothecae universitatis litterarum Erlangensis trecentesimus, de quo excepta Fr. Schmidtii brevissima adnotatione, quae invenitur in dissertationis de numero actorum in Plauti et Terenti comoediis scriptae, ed. Erlang. a. 1870, p. 39[1]) nihil omnino, quantum equidem resciscere potui, publici iuris factum est.

Hic codex num totus saeculo XII., ut titulus eius testatur, scriptus sit, valde dubito: nam priores paginae cursim, ut pro temporis brevitate, percurrenti mihi ab alia et ea vetustiore manu scriptae esse videbantur atque ceterae. sed de hac re antequam iudicium feramus, qui sit omnino huius codicis habitus paucis demonstrare nobis permittatur, ne futtili sententia nisi, sed argumentis freti eius aetatem definire videamur.

Codex, ut adnotatio, quae est in fine eius scripta: *monasterii in hailsbrunn* demonstrat, ex bibliotheca Heilsbrunnensi Erlangam pervectus ibique numero 300 designatus est. non ante XI. saeculum eum scriptum esse ex litterarum — velut *de*,[2]) vocalium *ii* punctis distinctarum,[3]) *r* uncialis ligaturis cum vocalibus coniunctae — formis colligi potest.[4]) sed iam Keil l. c. duas manus in hoc codice versatas esse

---

[1]) Ubi haec verba leguntur: 'Schon bis jetzt waren zwei Schlusscenen der Andria bekannt. Herr Bibliotheks-Assistent Dr. M. Zucker dahier hat im cod. Erl. Nr. 300 einen neuen exitus dieser Komödie gefunden, in welchem außer Pamphilus, Charinus, Chremes und Davus, die in einem der beiden andern exitus auftreten, noch Simo vorkommt'. cf. etiam A. Spengel in Burs. ann. a. 1876, 2, p. 364.

[2]) De simili coniunctione litterarum *de* et *e* s. XII. usitato cf. Wattenbachii libri, quem inscripsit Anleitung zur latein. Paläographie, ed. Lips. 1886, p. 47.

[3]) Quod XI. demum saeculo usu venisse idem l. c. p. 52 auctor est.

[4]) Cf. H. Keilii in Ritschelii opp. vol. III p. 280 adnotationem.

Digitized by Google

recte cognovit. mihi quoque, cum codicem quamvis obiter perlegerem, statim exploratum erat eum non ab una, sed minimum a duabus manibus confectum esse. hoc, ut praetermittam atramenti variam speciem, vel inde conclusi, quod sub finem codicis compendia et siglae, quae dicuntur, mirum in modum crescentes minoris aetatis speciem prae se ferre videbantur. prior codicis pars autem tam nitide scripta est, ut non dubitem saeculo XI. eam adtribuere. nam omissis iis compendiis, quae omnibus temporibus usitatissima erant, vel iis, quae saeculo XI. et XII. usu veniebant, veluti vulgata litterarum *o* et *r* ligatura vel praepositionum *per, prae, pro* notis compendiis, tales quoque siglae inveniuntur in posteriore parte, quales Andriae primum actum accuratissime pervolutanti mihi nullo loco quamvis data occasione occurrerunt.[1]) iure igitur priores quinterniones saeculo XI., posteriores XII. vindicari existimo.[2])

Omnes Terenti fabulae in hoc codice insunt et post finem singularum nota illa subscriptio: 'Calliopius recensui'. hi versus autem, de quibus nos agemus, non ultimae Andriae scaenae adscripti sunt, sed in secunda codicis pagina post nonnulla scholia locum habent, non nitide et compte, sed neglegenter exarati — quamquam singulae litterae plerumque non difficiles sunt ad cognoscendum — neque ulla versuum distinctione servata, ut primo aspectu dubites, utrum omnino versus legas necne. eos autem ab eadem manu qua posteriores codicis quinterniones scriptos esse veri simile est,[3]) dummodo ne quis in eo offendat, quod versus — nam sunt versus — hic nequaquam, illic semper fere distincti sunt. sed haec res nullius momenti est, si consideramus librario spatium, quod admodum parvum supererat, si versus distinxisset, non suffecturum fuisse. monendum quoque est illum sine dubio magna cum celeritate rem egisse: quod cum ex neglegentia scribendi supra memorata tum inde colligere licet, quod non ad finem usque hanc scaenam descripsit, sed media in Davi oratione scribendi finem fecit.[4]) quam difficile autem nonnumquam mihi fuerit investigare genuinam horum verborum condicionem, ex eo intellegi potest, quod praeter versuum perturbationem non solum singulae litterae, sed etiam complura verba hic illic partim exciderunt, partim vetustate deleta sunt. augentur autem difficultates eo quod librarius modo singulas lineas usque ad

---

[1]) Eas siglas dico, quibus Wattenbach l. c. p. 71, 72, 73 *con, est, et* scribi docet. conferri potest *praecium* in cod. P. (Andr. I 49), *praetium* in codd. A et P (Eun. 138) al.

[2]) Iam cum haec sententia firma mihi extitisset, Keilii iudicium l. c. prolatum legi ibique idem fere dictum esse de diversis codicis librariis valde gavisus sum.

[3]) Keil, l. c.

[4]) De hac re cf. quae infra proferuntur.

Digitized by Google

marginem codicis dextrum litteris implevit, modo intra ultimum verbum et marginem spatium vacuum sat magnum reliquit, sive quod accuratam versuum in archetypo distinctorum imaginem expressit, sive alia causa ductus; nam in nonnullis lineis, velut in 1, 4, 7, 10, 14 litterae tali modo sub marginem stipatae sunt, ut non sine causa id fecisse eum putes, aliis locis (ut 3, 5, 8) iam magno a margine intervallo scribendi finis fit, ubi nulla perspicitur causa, cur non usque ad marginem litterae perductae sint.

Hi versus a manu posteriore emendati sunt, id quod paucae rasurae ab altera manu expletae et nonnullae litterae post *accipio* adscriptae ostendunt. is igitur, qui hunc exitum recensuit, cum in fine nonnulla deesse perspexisset, pauca verba sive ex alio codice descripta sive de suo adiecit, quae exceptis decem fere litterulis prorsus evanuerunt.

Sed ut iudicari possit, qua ratione in his versibus restituendis rem gesserimus, verba codicis, quae mihi excutienda et explicanda proposui, ante lectoris oculos ponam.[1])

[1]) C. Schenkelio magistro doctissimo intercedente I. Burkhardii commendatione impetravi, ut Brissinger et M. Zucker huius exitus eos locos, de quibus dubius fui, mihi exscriberent. eorum lectiones litteris B Z notatas infra adposui. qua occasione oblata omnibus his viris doctis de me optime meritis nec minus G. Hartelio magistro doctissimo, qui consiliis suis mihi benigne adfuit, gratias debitas ago.

Digitized by Google

ultima scena in andr[1])

Chār. pā. Davv. Crē. Symo

1. Ch.[2]) Te expectabam. Pā. Quasi *deorum* inveni voluptatem. Ch et me in portum. Pa O fortuna[3])
2. quē m *pro*seravv ch Deducere memento. Davv. i. domum. paraque nuptas *con*veni //////[4])
3. iam educ. Ch *et* de me. Davv Quid moraris Ch curare Davv. Oportet. Ch socerum ex
4. pecto Ch faces[5]) me urē Davv. adest. Ch adiunctum affinitati. Pā. O mi chemes vellem
5. Ch. Quid vis. Pā. dicere quod rem in tuam *est* Chē Quid Pā alterę tuę gnatę in
6. veni. Che. Quid quod enī quasi necligis quod instat. Pā virum te *et* illa dignum
7. Dā *pro*bus/////quantivis hic est *praec*ii Che Quis Davv ille carinus. nulli nostrę[6]) vicinit[7])
8. iuvenumum secundus. Chē nec a nostra noticia alienus. Pā *et* mecum a puero *com*
9. plicuit amicitiam Chē Ne moram ad alia faciamus Pā tua affinitate sua
10. virtus *est* dignissima Chē assenti*or*. Davv Ut sapiens uti non[8])-ardas *con*silio
11. Syrm Iam ad nos adduci tuam feci cremes S; quid *est* quod quę instant necli
12. gis Chē Nuptias ingeminamus. Sym. Cui alteras. Pā Cui optime *con*venit Sm cui tn[9])
13. Chē Charino Sim me ercle optimo iuveni. Chē et de hoc *pro*bes multum gau
14. deo. Sim *Pro*bus est certe Chē ut familia nostra undique *con*glutinetur ut des[10])
15. sint. et[11]) mecum ei nuptię sint tu dave utrobique meditator cura Davv pro infor
16. tunio duplex gaudium accipio
17. seu..... s ..... desidet[12])

[1]) Codicis lineamenta cum typis accurate excudi non possent, verba vel praepositiones compendiis scriptas plerumque explicatas et litteris pronis expressas exarari, litteras dubias punctis infra positis insigniri iussi. [2]) Ante *Ch* signum invenitur eis simile, quibus Wattenb. l. c. p. 88 v. 11 et Hauler in Melet. Vind. t. 11 (a. 1889) p. 270 adn. 3. scaenarum initia significari docent. [3]) *u* ex *a*. [4]) hic olim litterae *ant* fuisse videntur. [5]) *faces* B Z [6]) *nostrae* ex *nostrum*. [7]) *vicinit* B Z [8]) *non* B Z, equidem legeram *num*. [9]) *tn* B Z [10]) *ut des* B Z, *vides* ego. [11]) *et* B Z [12]) Has litteras equidem enucleare non potui; sed ne eae quidem, quas Brissinger et Zucker cognoverunt, nos aliquid iuvant.

Digitized by Google

Tertius Andriae exitus.

Charinus. Pamphilus. Davus.

I. Ch: Te éxpectabam. Pa: Quási deorum invení voluptatem!
Ch: Ét me in portum.....
II. Pa: Ó fortuna, quáe mihi prospera évenit! Ch: Dedúcere
III. Meménto. Pa: Tu, Dave, í domum paráque: nuptam cónvenit
IV. Iam edúcere. Ch: Et de mé... Dav: Quĭd moraris tú?
Ch: Curare opórtet
V. Sócerum, expecto,... Dav: Faúcibŭs me urget! — Ádĕst!
Ch: Adiunctum affínitate.

Charinus. Pamphilus. Davus. Chremes.

VI. Pa: O mí Chremes vellém ... Chr: Quid vis? Pa: Tibi dícere,
VII. Quod rem ín tuam est. Chr: Quid ístuc? Audio. Pa: Álterae
VIII. T*u*ae gnátae inveni... Chr: Quídquid est, quasi nécligis,
IX. Quod ínstat? Pa: Dignum te átque illa virúm. Dav: Probus
X. Et quántivis hic ést preti. Chr: Quis ílle? Dav: Adest,
XI. Charínus! Nulli nóstrae qui vicíniae
XII. Iuvenúm secundus. Chr: Néc nostra a notítia is est
XIII. Aliénus. Pa: Ĕt mecum a púero complicuít, Chremes,
XIV. Amícitiam. Chr: Ne rémoram facias ád alia!
XV. Pa: T*u*a affínitate súa virtus ĕst digníssima.
XVI. Chr: Asséntior. Dav: Tu sápiens uti nón paras

Charinus. Pamphilus. Davus. Chremes. Simo.

XVII. Cónsilio? — ah Simó! Si: Iam ad nos addúci t*u*am fecí, Chremes.
XVIII. Chr: Quíd ĕst quod, quae instant, nécligis? Si: Quid? Chr: Núpt*i*as ingeminámŭs. Si: Cui
XVIIII. Álteras? Pa: Cui óptime convéniunt. Si: Cui tandem? Chr: Huíc, puto.
XX. Si: Mé hercle, ŏptimo iuveni! Chr: Ét quod de hoc probĕs, múltum gaudeó. Si: Probus ĕst
XXI. Cérte. Chr: Ut nostra família iam conglútinetur úndique?
XXII. Pa: Út des! Chr: Omnia íta sint! Pa: Et nunc út mecum ei sint núptiae,
XXIII. Tú, Dave, utrobiqué meditator, cúra! Dav: Pro infortúnio
XXIV. Gaúdium accipió duplex.....

Digitized by Google

Cap. II.

Quomodo hic exitus restituendus sit.

Lectionem genuinam restituere conanti primum difficillima quaestio oritur, utrum haec accessio solos versus exhibeat an prorsus prosae orationi vindicanda sit an ex metricis et orationis solutae membris inter se adgregatis constet.[1]) atqui manifesta versuum vestigia in his adparent verbis: *te expectabam quasi deorum inveni — adest adiunctum affinitate — o mi Chremes vellem quid vis — quod rem in tuam est quid — alterae tuae gnatae inveni — tua affinitate sua virtus est dignissima — iam ad nos adduci tuam feci Chremes.* haec exempla ob eam causam elegi, quia, ut traduntur, quomodo sint intellegenda nequaquam ambigi potest. sed dicat quispiam nullo modo his exemplis a me prolatis demonstratum esse solis ex versibus compositum esse hunc exitum, immo illa exempla prosae orationis rhythmica quadam ratione decurrentis esse. quod cum hoc loco non iam possim refutare, lectorem ad eam quae sequitur disputationem relego. hoc tantum monere velim codicis verba corrupta et tam neglegenter scripta esse videri, ut facile credas hic illic verba vel intercidisse vel transposita esse.

Diu igitur haesitabam, quid facerem, cum mecum reputarem, quaenam principia in verbis restituendis mihi constituerem. nam fieri potuit, ut in versibus conficiendis aut Terentium exemplar sibi proponeret hic scriptor, qui certe non fuit Terentius, aut plane propriam rationem adhiberet. cum autem hunc exitum tractans familiaritatem ut ita dicam in dies artiorem cum eius scriptore contraxissem, mox non dubitabam, quin is, qui in verbis eligendis Terenti vestigia tam arte pressit, qua de re postea dicam, huius in versibus quoque conficiendis morem atque consuetudinem imitatus esset. sane tunc quoque aut imperitia aut neglegentia a Terentio abhorrere potuit — et revera abhorruit, quod semper dehinc nobis respiciendum erit. haec igitur ad opus propositum rite persolvendum quasi fundamenta mihi posui, primum ut quam ac-

---

[1]) Eius rei testimonium adferri potest *Querolus* comoedia ab incerto aevi Theodosiani (saeculi IIII. p. Chr. n. vergentis) scriptore composita. quam si perlegimus, non solum sescentos locos invenimus, quibus una vel duabus tantum syllabis insertis versus existunt, sed etiam plenos versus haud raro eruere possumus. de versibus L. Havetum cogitasse constat. me notabilia inter alia haec adverterunt exempla: p. 41 v. 18 (ed. Peiper. a. 1875): *Nescis nihil esse grávius fortuná mala*; vel p. 46 v. 10: *Illé pretiosus átque tristis, cúltus quem poscít miser.* sed si alios locos huius fabulae tam longae respiciemus, ubi prosa oratio plane adparet, non dubitabimus, quin vere dixerit scriptor, cum sibi tribueret *sermonem poeticum pede clodo* procedentem (cf. Peip. praef. p. XXXVI et inprimis p. XXXVII).

Digitized by Google

curatissime Terenti ipsius usum observarem, atque saepe adeo, ut in singulis vocibus quoque adhibendis et ponendis Terenti consuetudinem spectarem, deinde ut, cum nullo modo ad Terenti morem accommodari possent haec verba, suo arbitratu vel inscitia hunc scriptorem egisse statuerem.

Sed iam ad versus ipsos restituendos transeo.

Primi versus numerus quomodo constituendus esset consideranti mihi id spectandum erat alterum Andriae exitum, quem novisse hunc poetam mox docebo, ab isdem verbis atque numeris trochaicis incipere: ***Te éxspectabam;*** *est dé tua re* e. q. s.; accedit, quod, si primum versum iambicum esse — de alius generis versu velut bacchiaco cogitari nequit — sumimus, accentum grammaticum ita violatum esse statuamus necesse est, ut a posterioris aetatis poeta factum esse neges.[1]) his perpensis affirmem hunc quoque exitum a versu trochaico initium capere[2]). neque hercle mihi contigit, ut qualemcumque alius generis versum ex primis codicis verbis elicerem.[3]) quibus constitutis duplex mihi data erat facultas primi versus restituendi: poterat enim esse trochaicus septenarius aut octonarius. septenarius existit, si substantivum *deorum* (ultima syllaba elisa) ut monosyllabum legimus et substantivi *voluptatem* secundam syllabam corripimus. ad hanc quaestionem aliqua saltem cum probabilitate persolvendam solum ex Terenti fabulis auxilium nobis comparare possumus. iam ut ponamus hunc versum tr. septenarium esse: *Té expectabam quási deorum invení volŭptatem et me ín portum,*

---

[1]) Cf. Christ in libro, quem inscripsit: Metrik der Griechen u. Römer p. 373 sq.

[2]) Cum meum esse putarem nihil, quod ad rem quam tractamus alicuius momenti esse videretur, neglegere, Terenti in verbi *exspectare* variis formis adhibendis usum observavi. atque iis locis, quibus verbi *exspectare* aliqua forma initium versus occupat, semper accentum metricum et grammaticum consentire videmus; cf. Andr. 980; Hec. 855, Phorm. 606, Ad. 322, ubi accentus naturalis violatio ultima syllaba verbi *éxspect(o)* elisa prorsus tollitur. deinde videmus duos illos accentus semper in trochaicis versibus congruere, in iambicis hic illic dissentire. denique formae *exspectabam,* qua nunc nostra maxime interest, accentus naturalis semper in iambicis senariis violatur (cf. Andr. 435, Hec. 422), in troch. sept. (Eun. 743) servatur. quod fortasse is, qui hunc exitum scripsit, si non noverat, certe sensit.

[3]) Terentius ipse si hunc exitum composuisset, facilius esset de primi ceterorumque versuum numeris iudicare, quippe qui nisi gravibus causis ductus rhythmorum continuationem non interruperit. notum enim est numeros tunc solum mutari, cum personarum quae agunt aliqua ira, metu, exultatione, dolore, gaudio commovetur, quod in scaenarum initiis usu venisse Conradt in libri, quem inscripsit: Die metrische Composition der Komödien des Terenz, ed. Berol. a. 1876, p. 13 sq., docet. sed etiam mediis in interlocutorum colloquiis numeri saepius mutantur, ubi sententiarum argumentum variatur; cf. Ritschl in parergon diss. X p. 603 et 604, Conradt l. c. p. 31. at quis quaeso credet hunc scriptorem eas leges, quas modo memoravimus, novisse aut tam diligenter secutum esse, ut secundum Terenti artem hic de eo iudicare liceat?

Digitized by Google

vides substantivum *portum*, quod duas longas syllabas habet, in fine trochaici septenarii, sicut in iambici senarii vel octonarii, quos, quod ad paenultimam syllabam pertinet, eodem modo tractaverunt poetae,[1]) offensionem praebere. opponat quispiam hunc scriptorem quamvis imitatum Terenti ipsius rationem tamen hic illic facere non potuisse, quin sive male lapsus sive temporum posteriorum consuetudinem secutus syllabis versus metiretur. quod etiamsi in universum non nego, tamen hic non crediderim, cum alius versus — octonarius troch. — sat bonus his verbis formari possit. quo posito[2]) iam facilius esset de sequentis versus natura iudicare, si constaret ei, qui hunc exitum scripsit, legem illam notam fuisse, qua octonarius trochaicus solo versu trochaici generis i. e. octonario vel septenario trochaico excipi potest.[3]) sed hoc etsi non ausim contendere, tamen, si cogitaverimus a verbis *O fortuna* solum *trochaici* generis versum initium capere posse, deinde ex hac verborum serie *deducere memento i domum* (*vel* ***tu, Dave***, *i domum*) versum, in quo numeri apte decurrant, confici nequire, veri simillimum esse nobis videbitur verbis *O fortuna — deducere* versum trochaicum, dico septenarium, formari. et quis negabit in huius versus fine verbum *deducere* optime quadrare? quae cum ita sint, sequitur, ut cum verbo *memento* numeri mutentur. et facile verbis quae sequuntur octonarius iambicus effici potest.

Hunc excipit septenarius iambicus, quem una vocula (*tu*) inserta effeci. quinto autem versu scriptor ad genus trochaicum rediit, fortasse ut isdem versibus — octonariis trochaicis — primam huius exitus scaenam et incoharet et finiret.[4]) nonne igitur hi quinque versus, qua sunt varietate, exercitii grammatici speciem praebere tibi videntur? sequuntur undecim iambici senarii, quos a Chremetis introitu tamquam a nova scaena incipere probabile est. ab Simonis introitu, unde tertia scaena incipit, iterum trochaici septenarii obviam fiunt, quibus omnes Terenti fabulae finiuntur. valde autem dolendum est post Davi *accipio* litteras prorsus evanuisse neque me coniectura quidem enucleare potuisse, qui sensus in paucis litteris sequentibus inesset.

---

[1]) Cf. Luchs in Studemund. Stud. in pr. Lat. vol. I fasc. 1 p. 8.

[2]) Si consideras octonarium tr. nusquam nisi in canticis a Terentio adhibitum esse, de canticorum ratione autem magnam adhuc dissensionem inter viros doctos esse (egit de hac re praeter B. Bornium et C. Conradtium Fr. Schlee in diss. de versuum in cant. Terent. consecutione inscr. ed. Berol. 1879), verendum esse censeas, ne difficultates ita augeantur. sed ridiculum est putare hunc poetam de vero cantico cogitasse.

[3]) Quod primus sagaciter cognovit R. Bentleius in adnot. ad Andr. II 1, 7.

[4]) Trochaici septenarii iambicis octonariis excipiuntur Andr. 179—180, 233—234 al., iambici octonarii iamb. septenariis ib. 683 — 684, Heaut. 678—679 (sane in duarum scaenarum confinio); iambici septenarii troch. octonariis Eun. 557—558. cf. Gleditsch in Iv. Muelleri ench. t. 2, p. 590.

Digitized by Google

Hunc igitur habemus versuum ordinem:

1 troch. oct.
1 troch. sept.
1 iamb. oct.
1 iamb. sept.
1 troch. oct. } scaena I.
11 iamb. sen. scaena II.
8 (?) troch. sept. scaena III.

sed iam de singulis versibus disseremus.

Itaque primum versum codicis lectione non mutata octonarium trochaicum esse existimo sic decurrentem:

Cha: Te expectabam. Pa: Quasi deorum inveni voluptatem, Cha: Et me in portum.

agitur iam, quomodo hic versus pronuntiandus sit. quam ad rem decernendam in quaestionem vocanda sunt duo vocabula *deorum* et *voluptatem*; de ceteris enim dubitari nequit. forma gen. pl. *deorum* Terentius perraro usus est (Andr. 959. Heaut. 693).[1]) et similes voces ut *meorum, mearum, earum* si respicimus, modo ut trisyllabae (Phorm. 587, Hec. 369 in tr. sept.), modo ut bisyllabae (Hec. 361, Ad. 160 (in oct. tr.), Ad. 294 (in oct. iamb.)) legendae sunt. iam cum altera utra mensura uti nobis liceat, una re ut vocis *deorum* primas syllabas per synizesim coniungam commoveor: quia tunc post verbum *inveni* caesuram secundariam saltem[2]) — legitima omissa[3]) — nanciscimur, id quod in aliis quoque octonariis tr. fit. — substantiva *voluptas* et *voluntas* decies ita pronuntiantur, ut secunda syllaba longa sit; quater fere, ut omittam locos dubios, velut Phorm. v. 725, haec syllaba corripitur[4]) idque plerumque ita, ut syllabis *vŏlŭp* et *vŏlŭn* soluta arsis formetur; cf. Eun. 1034 (oct. i.), Heaut. 1025 (sept. tr.), Hec. 593 (oct. i.). unde elucet per se mensuram *deórum invéni vŏlŭptatem ét* non esse reiciendam. sed cum, si *deorum inveni volúptatem ét* metimur, praeterquam quod haec mensura est usitatior, etiam unam saltem thesim puram adipiscamur, qua

[1]) Cf. Engelbrecht Stud. Terent. p. 18.

[2]) De hac caesura minore cf. Christ. l. c. p. 298. — Id addere velim Terentium ipsum hanc pedis quarti conformationem *inveni* vitaturum fuisse.

[3]) Caesura octonarii legalis, quae inter quartum et quintum pedem cadere solet, omissa hic eo excusatur, quod verbum plus duarum syllabarum caesurae locum obtinet; cf. Andr. 231: *Támen eam adducam: inportunitatem spectate aniculae*, Andr. 60: *Gaudébam :: Non iniuria :: nam id arbitror.* ceterum cf. R. Klotzii libri, quem inscripsit: Grundzüge altrömischer Metrik ed. Lips. a. 1890. p. 187 sq., 199 sq., 211, Dziatzkonis praef. Phorm.[2] p. 36.

[4]) Similes correptiones sunt: senĕctútem Phorm. 434, magistrátus Eun. prol. 22.

Digitized by Google

planius trochaicum octonarium esse hunc versum cognoscatur,[1]) persuasum mihi est eum sic esse pronuntiandum:

I. Te éxpectabam || :: *Quási*[2]) *dêorum invení* || *voluptatem* :: *Ét me in portum*

cum hoc versu a nobis restituto conferas quaeso Andr. v. 608:[3]).

Mi óbtigisse || *quándoquidem tam inérs,* || *tam nulli cónsili sum.* qui isdem caesuris (post primam dico dipodiam et post pedis V. arsim) dividitur.

Iam priusquam ad versum sequentem me verto, id moneo me ea de causa hunc primum versum tam fuse tractasse et usque ad singulas voculas cum Terenti usu comparasse, ut simulatque adparuisset unum saltem versum Terentio dignum nos elicuisse, eo veri similius esset cetera quoque codicis verba in versuum formas, licet nonnulli haud elegantes essent, redigi posse.

Transeo nunc ad versum II. iam supra dixi persuasum mihi esse verbo *deducere* hunc versum finiri. nam etsi non desunt exempla in Terenti fabulis, quae ultimas verborum dactylicorum syllabas acui ostendunt,[4]) tamen nullum eorum ita comparatum est, ut illa syllaba, quae cum dactylici verbi ultima brevi sub unum ictum coit, non habeat accentum naturalem.[5]) hoc loco autem habemus hanc verborum consecutionem *deducere memento* – | – ⏑ | ⏑ ⏑ ´ | ¯: non igitur altera arsis solutae syllaba, sed thesis accentum grammaticum habet, sive legimus: *memento i* sive *memento tu Dave i* (ut ego).[6]) sed ea oritur quaestio,

---

[1]) Cf. A. Spengelii libri, quem inscripsit: Reformvorschläge zur Metrik der lyrischen Versarten bei Plautus..., p. 155 al.

[2]) Particula *quasi*, cuius altera syllaba a principio longa fuerit, iam Plautum semper pro pyrrhichio usum esse C. F. W. Mueller in Prosod. Plaut. p. 24 docet.

[3]) Hic versus ex numero eorum est, qui omissis sollemnibus mendis nulla dissensione codicum traditi sunt.

[4]) Cf. Andr. 965: *Pámphilús ubi nam hic est,* Eun. 1082: *Áccipít homo nemo* et deinceps octo in sept. tr., quos iam a Corsseno (Über Aussprache etc. p. 462 sq.) defensos Podiaski in diss., quam inscripsit: Quomodo Terentius in tetrametris... verborum accentus cum numeris consociaverit ed. Berol. a. 1882, p. 2 sq. citat. iniuria hi loci temptati sunt a viris doctis. nam cum nequaquam dubitandum sit, quin comici latini id egerint, ut accentum grammaticum et metricum consociarent, tamen hic cum Corsseno faciam, quoniam accentus naturalis non laeditur et verba illa dactylica in ultima syllaba accentum secundarium habent.

[5]) Non repugnat Ad. v. 588, ubi legimus: *Aeschinŭs ŏdiose.* nam in adiectivi *odiose* prima syllaba accentus secundarius positus est.

[6]) De simili versus sept. tr. initio cf. Phorm. v. 841, ubi legitur: *Ó Fortuna, o Fors Fortuna* e. q. s. (contra hic vocativus in medio versu reperitur Hec. 406: *Solitudoque. Ó Fortuna...*).

Digitized by Google

qui sensus subsit obscuro illi verbo, quod compendiis explicatis nanciscimur, dico verbo *proseravit*; neque minus clarum est, quid illud *quem* hic sibi velit. quod solum ad antecedens *portum* referri potest. tum haec verba ita interpretanda essent: *o fortuna, **quem mihi** aperuisti* (vel similiter), ut Pamphilus memoria salutis suae verbis alterius adulescentis excitata denuo fortunam collaudet, quod se in portum deduxerit. sed ut omittam enuntiato relativo interiectioni adiecto constructionem verborum inplicatam oriri, orationum tenore flagitari mihi videtur, ut *fortuna* etiam enuntiati secundarii sit nomen subiectum; quare virgulam falso additam esse arbitratus illud *quê* in *quae* mutandum esse existimavi. in *proseravit* igitur verbum, quod Fortunae actionem indicet, insit necesse est. diu deliberanti mihi aptissimum visum est conicere: *prospera evenit*,[1]) nam si sumimus in codice archetypo fuisse: PROS(P)ERA(E)V(EN)IT non veri dissimile est eum, qui descripsit, litteris, quas uncis inclusi, evanidis factis ultimas tres litteras terminationem verbi *proserare* putantem, qua erat socordia, super litteram *v* compendium posuisse; quo factum *est*, ut ineptum illud *proseravit* inreperet. quibus expositis versui hanc formam dem: *Pa: ó fortuna, quáe mihi prospera évenit! Ch: Dedúcere.* iam vides hunc versum caesura legali sane elisione obscurata in duo membra dirimi. at obici potest nos ex mero arbitrio egisse, cum verbis *prospera evenit*, qua meliorem coniecturam inveniri posse ingenue fateor, ad septenarii tr. mensuram expleremus hunc versum. sed quoniam in codice ipso mendum est, nostrum erat coniectura quae genuina esset lectio probabili quodam modo eruere.

In fine versus III. rasura est, sub qua olim, ni omnia fallunt, litterae *ant* fuerunt. et sensus et constructio horum verborum, ut codice traduntur, tam obcaecata sunt, ut coniciendo medicinam adferre oporteat. id unum cum manifestum sit de nuptiis parandis verba fieri, absurdum esse adparet a Davo hoc mandatum dari. quare hoc vitium librario quam poetae adtribuere malo. nam a Pamphilo solo haec verba apte dici quis est qui neget? habemus igitur: *Memento. **Pa:** Dave i domum para quae nuptas conven.....* primo aspectu credas Andriae versus 366: *num videntur **convenire haec nuptiis*** memorem hunc imitatorem scripsisse: *i domum, para, quae nuptiis conveniant.* sed hanc lectionem si statuimus, verba quae sequuntur *iam educ̄* coniunctione apta carent; nam *educ̄* simplicissime[2]) per *educere* explicatur. sin autem *convenit* et pro *quae*, quod tunc non habet quo referatur, *que* legimus et *nuptas* in *nuptam*[3])

[1]) Cf. Hec. 415: *Ain tú tibi hoc incommodum evenisse* iter?

[2]) Sane scio educ̄, si compendii sollemnis rationem habemus, idem esse quod *educit*. sed quid *educit* hic sibi velit non intellego.

[3]) Solus singularis numerus hic quadrat. nam de utraque puella (Glycerio et Philumena) si verba facit Pamphilus, omisso eo, quod solum de sui patris domo loquitur,

Digitized by Google

mutamus, bene omnia cohaerent: ***Pa:*** *Dave, i domum paraque; nuptam convenit* [iam educere] (ex Chremetis in Simonis domum). *convenit* sensu verbi *decet* hic eodem modo adhibetur, quo in Eun. v. 494 sq., ubi legimus: *Haud **convenit** Una ire cum amico imperatorem in via.* idem Pamphilus simile quicquam Davo imperat Andr. v. 978 sq.: *tu, Dave, abi domum, Propera* [1]) et q. s. una autem arsi hic versus caret, qua inserta plenus octon. iamb. existat. ea de causa non dubitavi pronomen *tu*, quod librarius post *memento* facile omittere potuit, supplere; cf. Andr. v. 978: *Tu, Dave*; huius exitus v. XXIII: *Tu, Dave.* [2])

Hic versus, quippe qui caesura legali (post purum iambum) divisus legatur, Terentio ipso haud indignus est.

Magnas difficultates praebent versus IIII. et V., qui verbis *iam educere — — affinitate* formati simul tractandi sunt. genuina lectione partim obscurata cum orationes interlocutorum solito saepius interrumpantur, non facile intellegi potest, quomodo singula verba vel enuntiata conectenda sint. hos igitur versus ut sanemus, in argumentum ipsum inquiramus necesse est. Pamphili imperio accepto Davus domum abiturus — sic rem mente mihi fingo — a Charino retinetur, in quem vixdum pauca verba *et de me* locutum morae impatiens his verbis invehitur: *quid moraris?* tum alterum solo verbo *curare* prolato iam iterum a servo uno verbo *oportet* abscise edito interpellari quis est quin ineptum esse sentiat? quare non dubito, quin Davi nomen hic falso inrepserit et potius post verbum *expecto*, ubi Charini nomen media in eius oratione prorsus supervacaneum legitur, ponendum sit.

Sed iam difficillima oritur quaestio, quid sibi velint verba *faces* (?) *me urē.* iterum atque iterum dum quid significarent delibero, paene omnem spem dimisi, cum mihi in mentem venit loci Sallustiani (Cat. 52, 35), ubi legimus: *Catilina cum exercitu faucibus urget.* [3]) itaque verborum deperditorum vestigia arte secutus hanc coniecturam propono: *faucibŭs me urget* (sc. Charinus). haec verba, quae a Davo indignatione adfecto de Charino precibus molesto apte dici patet, [4]) suppressa, *adest*

---

verba a Charino mox prolata *Et de me* et q. s., sive ad Pamphilum sive ad Davum diriguntur, prorsus supervacanea sunt. de caerimoniis nuptialibus cf. Marquardtii libri, qui inscribitur: de antiqu. priv. I 45 sqq., de *domum deductione*, quam hoc loco Pamphilum in animo habere existimo, p. 51 sq.

[1]) Ex hoc loco fortasse concludas nobis quoque pro *para* scribendum esse *propera*, quod ut prorsus superfluum recuso.

[2]) Hoc pronomen aliis quoque locis excidit, velut Ad. 168 (A), al.

[3]) Non me fugit coniecturis hunc locum temptatum esse; cf. edit. Prammer. praef. p. VIIII. sq.

[4]) Cum hac Davi audacia congruit petulantia, qua alias in Charinum utitur; cf. Andr. v. 371 sq. et inprimis v. 708 sqq. postea demonstrabimus hunc ipsum poetam in Davi persona multis verbis exornanda nimium fuisse.

Digitized by Google

autem clara voce proferri existimo, ut Chremetem in scaenam prodisse nuntietur. quo facto Charinus enuntiatum inceptum ad eum quem voluit finem producit his verbis: *adiunctum affinitate;* nam *affinitate* quin scribendum sit non dubito. haec igitur esset perpetua Charini oratio, quam sic quoque ab elegantis poetae indole mirum quantum distare largior:

Et de me curare oportet socerum, expecto, adiunctum affinitate,

quae verba sic interpretanda esse puto: 'Auch betreffs meiner ist es nothwendig, dass der Schwiegervater (socer Pamphili), ich hoff' es, (mir) durch Verschwägerung verbunden werde'.[1])

Quod ad rem metricam adtinet, versus IIII. eodem quo prius pronomine *tu*[2]) ante *curare* inserto septenarius iambicus existit. mensura *quĭd moraris* similis est harum: *ut ăd pauca* Hec. 135, *quid hĭc coeptat* Phorm. 626 (idem cadit in alias voculas velut *est, ex, hunc, ut*). quae si consideramus, veri simile est hunc Terenti imitatorem illorum locorum memorem hic quoque, etsi minus eleganter, *quid* ante consonam corripuisse. de anapaesto ita comparato, ut thesis duorum verborum syllabis formetur, cf. Andr. v. 694 *Per ŏmnis tibi.* ⏑, ⏑ ⏓ | [3]) al. quintus autem versus octon. troch. est, qui si *ădĕst*[1]) pronuntiamus, caesura legali dividitur.[4])

A versu qui sequitur sexto iambici senarii initium capiunt, qui colloquio inter Pamphilum, Chremetem, Davum habito apti sunt. iam sine mora concedes verbum *dicere* solum in extremo versu aptum locum tenere posse. qua causa ductus pronomine *tibi*[5]) inserto *dicere* in fine senarii caesura sane carentis posui.

Ad versum VII. adnoto me hoc quoque loco id egisse, ut verbum creticum *alterae* in fine collocarem. lacunam experimenti gratia verbis *istuc? audio* supplevi.

Iis quibus versus VIII. formatur verbis *Tuae gnatae inveni. Chr: Quid quod enī quasi necligis* senarius haud ita inelegans conficitur, quod autem ad sensum adtinet, lubenter confiteor sententiam probabilem quandam vi tantum adhibita his verbis inculcari posse. „Davus sum,

---

[1]) De verbi curandi constructione vide quae postea disputabo.

[2]) Pronomina a Terentio saepe sine certa causa adhibentur; cf. Spengelii ad Andr. v. 331 adn.

[3]) Cf. *erĭt praesidium* Heaut. 967, in quo septenario tr. *ĕrĭt* secunda syllaba ante *pr* correpta pedis V. arsim format.

[4]) Ut haud ignoro in re critica factitanda, cum de Terenti ipsius fabulis quaestio sit, multum referre, quo et in cuius generis versus loco hoc illud verbum in comparationem vocatum inveniatur, ita mihi persuasum est ab hoc imitatore talia discrimina abiudicanda esse.

[5]) Quod hoc loco non solum non superfluum esse, sed etiam sensu flagitari videtur.

Digitized by Google

non Oedipus", exclamet, cui haec verba interpretanda sunt. ac primum dubium fuit mihi, utrum hoc enuntiatum adfirmativum an interrogativum esset, deinde legi potuit: *quid quod, quid quid* aut *quidquid*, quae pronomina persaepe in codicibus confunduntur, cf. Umpfenbachii adn. ad Hec. v. 849; denique quem sensum hoc *quod instat* haberet minime apertum fuit. sed fortasse ex argumento et tenore orationum aliquem fructum capiemus: in v. VI. Chremes in scaenam prodierat ex Andriae domo rediens, quo v. 951 se contulerat. nonne igitur, si consideramus senem gaudio filiae repertae completum esse, veri simile est ei persuasum esse etiam Pamphilum nihil aliud cogitaturum et facturum esse quam ut de nuptiis cum Pasiphila celebrandis verba faciat? sed tantum abest, ut hoc faciat Pamphilus, ut alteri quoque filiae[1]) virum se invenisse Chremeti aperiat. obstupefactus ergo, puto, *Quid-necligis* inquit, Pamphilo exprobrans, quod nunc aliud quicquam in animo habeat quam *quod instet* i. e. nuptias cum Pasiphila celebrandas. hoc concesso verba ita coniungam: *Quidquid est*, — quod mihi dicturus es — *quasi necligis, quod instat?* vel ut nostra lingua utamur: Was immer du mir sagen willst, ist dir denn das gewissermaßen gleichgiltig, was bevorsteht? ita mihi hic locus cum aliqua veri specie explicatus esse videtur, nisi forte codicis scriptura magis quam suspicamur corrupta est.

Nonus versus verbis *dignum* et *virum* inter se commutatis et particula *atque* pro *et* posita (cf. v. 984 *dignum et atque illa virum*) senarius iamb. satis elegans evadit.

In versu decimo post *probus* in codice parva lacuna rasura orta extat, quam particula *et* explevi. ultimus pes ut purus iambus fieret, pronomine *ille* Chremeti tributo ante *Charinus adest* inserui, quo verbo Davus Charinum, de quo sermo est, proxime adstare diceret. genetivi formam *ii* in *pretii* hic quoque ut in Terenti fabulis[2]) ex errore librarii profectam esse veri simile est.

Iam ad versum XI. me verto. proxima verba quomodo in formam cum legibus metricis congruentem cogerem diu incertus fui. qui litterarum vestigia usque ad codicis marginem persequitur, potissimum censeat extremum substantivum *vicinitatis* esse, quod – ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ metiendum minime in hunc locum quadrat. tum enim duo quae praecedunt pronomina ita

---

[1]) *gnatus, gnata* apud poetas comicos semper valet idem quod *filius, filia*; *natus* solum participium est.

[2]) Cf. Ad. 300: *auxilii* (A), Hec. 588: *consilii* (A), Phorm. 770: *flagitii* (A), ib. 1029 *supplicii* (A) multaque similia exempla. falso sic scriptas esse genitivi verborum, quorum nominativus duabus syllabis *ius* vel *ium* finitur, formas ex eo elucet, quod constat inde ab antiquissimorum scriptorum temporibus usque ad Augusti aetatem horum verborum genetivum casum una syllaba *i* terminari. ceterum metrum formae *ii* obstat. cf. Neue, Latein. Formenlehre I² p. 85 sq.

Digitized by Google

legenda essent: *nullí nostráe* (*vicínitátis*), quod contra legem in versibus Terentianis dudum perspectam esset, ex qua medio in versu verborum et metrorum ictus idem esse debet.[1]) quare meo quidem iudicio praestat pro *vicinitatis* ponere *viciniae*, quod substantivum hoc loco Terenti proprium est.[2]) sed ut senarius expleatur, integro pede opus est, quem post pronomen *nostrae*.. excidisse, si non necessaria, at saltem non inprobanda est opinatio. itaque post *nostrae* (nam *ae* sine dubio apta terminatio est, nisi forte *nostrum*, ut vulgaris sermonis proprium,[3]) tenere mavis,) *qui* interposui, quo pacto senarius haud inelegans oritur.

Maximam autem difficultatem praebent ea verba, quae dehinc in codice scripta legimus. haec si omnino in versus senarios dispertire volumus, cogimur, ut iusto acrioribus remediis utamur. quamquam enim verba inde a *iuvenum*[4]) usque ad *tua affinitate* si alio loco legissem, sine ulla cunctatione pedestri sermoni adtribuissem, tamen quoniam mihi persuasum erat hunc exitum totum ex versibus, etiamsi hic illic miserrime depravatis aut a principio non elegantibus constare, non destiti, donec versus XII. et XIII. permutatis et insertis quibusdam verbis restituisse mihi viderer. feci quod potui: non tamen sine ulla dubitatione eos versus propono. de dactylo in pede paenultimo versus XII. cf. Heaut: 127... *lenirent miseriam*; ib. 545... *fingit. Stolidus est.* similis versus exitus atque in versu XIII. invenitur in Andr. v. 902: *comperiar, Chremes.*

Multo etiam miserior est verborum, quae sequuntur, condicio. quid enim facerem de verbis: *amicitiam ne moram ad alia faciamus* ⏑ – ⏑ ⏑ – – ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ – ⏑? quem versum ex his syllabis procuderem? huc accedebat, quod locutio *ne moram ad alia faciamus* suspicionem movit. sed adeo nolui his verbis malam quam dicunt crucem adponere, ut etiam atque etiam experirer, qua medicina huic versui mederi possem. denique ad hanc coniecturam confugi: (*Amicitiam*). Chr: *Ne*

---

[1]) Magna de hac re dissensio inter viros doctos adhuc extat. etenim alii Bentleium, G. Hermannum, Ritschelium secuti dedita opera a poetis Latinis congruentiam illam adpetitam esse existimant, alii cum Rittero, Boeckhio, Weilio et Benloewio, Corsseno, G. Meyero duorum accentuum consensionem nolentibus poetis ex ipsa linguae latinae indole atque natura profectam esse putant. sed utut hoc est, de consensu illo accuratis disputationibus velut O. Brugmani, quam inscripsit: 'Quemadmodum in iambico senario Romani veteres verborum accentus cum numeris consociarint' ed. Bonnae a. 1874 demonstrato dubitari nequit.

[2]) Nam cum utroque substantivo usus sit Terentius, *viciniae* bis (Andr. 70 et Phorm. 95) in fine versus senarii iambici legitur.

[3]) Aeque ac si nos diceremus: „die Nachbarschaft von uns“ pro „unsere Nachbarschaft“.

[4]) In codice falso scriptum est *iuvenumum*.

Digitized by Google

remoram facias ad alia. de dactylo tribus verbis conformato cf. Andr. v. 818: *Duc me ăd ĕam.*

Iam a Pamphili oratione: *tua affinitate* et q. s. senarius haud inelegans initium ducit, qua in re laetamur v. XV. bene decurrere verbis codicis omnino non mutatis. ne vero credas isdem vocalibus (*a* et *a* in *dignissima* et *assentior*) nullo intervallo diremptis hiulcum verborum concursum intolerabilem existere, conferas quaeso Ad. v. 831 et 832... *Demea — Ad omnia..* de tribracho in pede tertio cf. Andr. 77 *unus et item altĕr, ĭta ŭt ingenium est.*

Versus qui sequitur XVI. hoc modo in codice exhibetur:

Chr: Asséntior. Dav: Ut sápiens uti nón tardas.

Ultimum verbum *tardas* fuisse veri simile est; nam litterae *t* lineola - adhuc cognosci potest. sed ut omittam ultimam verbi *assentior* syllabam pro longa adhibitam suspicionem movere, grave vitium inest in codicis scriptura; nam paenultima senarii syllaba longa est. quam ad rem excusandam dicat quispiam hunc scriptorem quamvis elaborantem, ut versus suos secundum Terenti exemplar conficeret, tamen hic illic peccasse et syllabas tantum mensum esse, id quod eius aequalium mos fuit. quod cum per se non incredibile sit,[1]) tamen praestare existimo pro *tardas* leni mutatione facta *paras* et pro *ut: tu* scribere. neque alienum a rerum argumento et tenore esse mihi videtur Davum nunc, cum ex Chremetis responso *assentior* satis facile ad intellegendum sit ei Charinum non displicere, haec verba dicere: *Tu sapiens* (σώφρων ὢν) *uti non paras consilio!* (nos: du schickst dich bei deiner Weisheit nicht an, Einsicht zu gebrauchen, i. e. Charino, quem modo probum esse concessisti,[2]) filiam tuam despondere). ironiam quandam in Davi verbis inesse nemo non videt.

Cum versu XVII., cum Simo in scaenam prodeat, rhythmum in trochaicos septenarios commutari haud inconcinnum est.

In hoc versu restituendo si respexerimus in Terenti fabulis, quotienscumque persona in scaenam prodit, aliquem interlocutorum de eius adventu certiores facere spectatores,[3]) patebit excidisse hic nonnulla verba, quibus eorum, qui colloquuntur, aliquis Simonem venisse indicet. ac simplicissimum mihi videtur supplere post *Consilio*: *Ah Simo* (ante

---

[1]) Quin etiam a G. Prinzhornio (in diss. de libris Terentianis scripta ed. Gott. 1885, p. 11) Calliopius arguitur in ultimo pede senarii spondeum posuisse.

[2]) Ultimum consilium hoc verbo nondum edit Chremes, ut videtur: quid enim tunc verba *Ut des* (in v. XXII.) significarent?

[3]) Veluti Mysis (v. 721) Davum adpropinquantem conspiciens orationem suam interrumpit his verbis: *Sed Davos exit*; ib. 403: *Curabitur. sed pater adest*; 783: *Quis hic loquitur? O Chreme..*; Eun. 395: *sed eccum militem*; 724: *Sed videon' Chremem?*; Heaut 179: *Pater adest*; cf. v. V. *Adest.*

Digitized by Google

personae notam *Syr̄m.*), quo facto versum adipiscimur caesura secundaria instructum.[1]) quae insequuntur verba *S; quid ÷ quod quae instant necligis Chē nuptias ingeminamus Sym̄ Cui*, ut scripta leguntur in codice, omni sensu carent. primum enim manifestum est post Simonis orationem Chremetis nomen omissum esse, deinde quid illud *S;* ... sibi velit difficile intellectu est, postremo librarium iterum errasse videmus, cum mediam in Chremetis orationem nomen *Chē* falso insereret. quae cum ita sint, veri simile est Simonis et Chremetis orationes sic disponendas esse:

Simo: Iam ad nos adduci tuam feci, Chremes.
Chr: Quid est quod[2]) *quae instant necligis.*
Si: Quid?
Chr: Nuptias ingeminamus!

Qua re comperta Simo quaerit, cuinam alterae nuptiae destinatae sint. ultimae duae syllabae purum iambum repraesentant; nam constat apud poetas comicos syllabas natura breves, quae littera *s* terminantur, consonantibus sequentibus, prout res postulat, non produci.[3]) insolita sane in hoc versu mensura *nuptiās* est; nam quocumque versus loco positum hoc substantivum ut trisyllabum pronuntiandum est.

Etiam in v. XVIIII. restituendo verborum traditorum mutatione opus est. equidem propono *convenit* mutare in *conveniunt* et pro dubio illo *tn̄* scribere *tandem*, quod in interrogationibus saepissime usurpari nota res est. sed nomen *Charino* nullo modo huic versui accommodari potest. nihil igitur reliquum est nisi ut intolerabile illud *Charino* eiciamus. quo facto lectionem *huic puto* quamvis dubitanter propono.

Miretur quis, quid verba codicis in versu XX. *et de hoc probes multum gaudeo* significent, quippe quae constructionem aptam non praebeant. qua in quaestione ab hoc quasi a fundamento progrediendum est, verbis *multum gaudeo* enuntiatum primarium effici, secundarii autem enuntiati coniunctionem excidisse; nam accusativi cum infinitivo constructionem in priore enuntiato subesse non posse patet, cum *probes* coniunctivum praesentis esse in aperto sit. restat ergo una coniunctio *quod*, quam ab hoc Terenti imitatore coniunctivo adiunctam esse his exemplis probabile fit: v. 395: *Nam quod tu speres — inveniet*, 454: *et quod dicendum hic siet — non laudo*, Ad. 162 sq.:[4]) *Tu quod te posterius purges ..... huius non faciam* (germanice: und falls du dich späterhin entschuldigen solltest, so sage ich dir, dass ...). cum igitur

[1]) In exitu versuum saepe numero nomen proprium *Chremes* obviam fit.

[2]) Cf. Heaut. 613: *quid est quod a nobis graviter crepuerunt fores?* Eun. 558: *quid est quod sic gestis?* ib. 559: *quid est quod laetus es?*

[3]) Cf. Spengel praef. p. XXV; Klotz l. c. p. 45.

[4]) Cf. Dziatzkonis ad hos versus adn.

Digitized by Google

scriptor vidisset Terentium saepius *quod* cum modo coniunctivo copulasse, ipse id facere non dubitavit nihil curans, utrum iure id faceret necne.[1]) de constructione *probare de* sermonis vulgaris propria quid sentiam infra exponam. adiectivi *optimo* quoque primam syllabam corripi licere ex iis, quae *ad* v. I. (p. 11) disputavimus, elucet.[2])

De terminatione - *es* verbi *probes* correpta conferas quaeso Hec. v. 510: *Phidippe adĕs aúdi*, quae sane in senario leguntur.[3])

Versum XXI. non aliter conformare potui nisi vocabulis *nostra* et *familia* et *undique* et *conglutinetur* commutatis et particula *iam*[4]) inter verba *familia* et *conglutinetur* interposita. caesura primaria longo verbo *conglutinetur* prohibita secundaria post pedis IIII. arsim eius vice fungitur.

Maiorem difficultatem verba habent, quibus versus XXII. efficitur. hoc quoque loco, priusquam de scriptura agam, argumentum paucis perstringendum est. dicit igitur Chremes: (Probus ergo Charinus est ita) ut familia nostra conglutinetur (nuptiis inter Charinum et Philumenam factis; cf. v. 913), simul cum Simone per ironiam cavillans, ut infra demonstrabo. sed tandem aliquando optandum est, ut Chremes laudum Charini diutius et saepius, quam ferri potest, iam repetitarum finem facturus disertis verbis edicat nuptias Philumenae se Charino concedere. nonne id hoc loco, quo de *familia undique conglutinata* loquitur, eum facturum esse speramus? nam in particula *undique* iam subest sensus: etiam a Charini parte. nondum autem has nuptias sibi placere Chremes aperte dixerat. quare Chremetem hic dicere: *Omnia ita sint* (ut vos oratis) optime quadrare mihi videtur, quibus verbis tandem propalam fateatur se non recusare, quin *familia sua undique conglutinetur*. iam neminem fugiat verba *ut des* tantummodo a Pamphilo apte dici posse, quibus preces suas repetat[5]), ut Chremes Charino alteram filiam uxorem det. deinde autem rogamus, quaenam Davi cura sit. hoc inesse credo in verbis *et mecum ei nuptiae sint*, quae commutata et particula *ut* adiecta eidem Pamphilo adtribui.

Versum XXIII. verbis, sicut codice traduntur, usus constitui. iam vides Davo hic mandatum dari, quod servum optime decet. *Meditator*

---

[1]) Fortasse hic coniunctivus nolenti scriptori excidit, quippe quem aetate vixisse veri simile sit, qua singulorum modorum significationes in dies magis commixtas esse constat.

[2]) Adde Plaut. Merc. 329, Pers. 540 *sĕd ŏptume*; Most. 410 *vĕl ŏptume* (? cf. Klotz l. c. p. 75).

[3]) Ridiculum est in hoc poemate, si modo hoc verbo uti licet, theses exteriores et interiores (cf. Klotz l. c. p. 58) distinguere.

[4]) Haec particula omnino calamitosa fuisse videtur; saepe numero enim a librariis omissa est. cf. Ad. 293: (om. E); Phorm. 1029: (om. A, sane post *gratiam*) multosque alios locos.

[5]) Dicit enim: Charinus tam probus est, *ut des* (ei filiam).

Digitized by Google

pro imperativo accipio, quamvis mirum sit Pamphilum primum secundo qui dicitur, deinde primo imperativo uti. de pronuntiatione *utrobiquĕ mĕditator* cf. Andr. v. 23: *maledicerĕ mălefacta*, Hec. v. 621 *Pamphilĕ sĕnex*, et quae p. 12, adn. 4. ad v. II. diximus. vocabulum *infortunium* in eadem versus septenarii troch. sede legitur Phorm. 1028, in octonarii iambici fine Hec. 668 et Ad. 178.

Versus XXIIII., cuius fragmentum tantum extat, initium adiectivo *duplex* post *accipio* posito restitui.

Iam si oculis perlustramus versus, quos nos elicuimus, ut non infitior versuum distinctionem nonnumquam in mera coniectura positam esse, ita tamen cum aliqua veri similitudine me ostendisse spero, quomodo verba, quae codex sine ulla versuum discriptione continet, legibus metricis Terenti adaptari possent. nam id saltem observatum vides, ut in senariis iamb. et in septenariis troch. semper thesis ultimam syllabam praecedens brevis sit et ubique fere metrorum ictus iidem sint ac verborum accentus. tetrametros autem iambicos diligentissime, quod ad hanc rem adtinet, a Terentio tractatos esse cum constet,[1]) etiam in iis, quos nos restituimus, nullam fere duorum accentuum dissensionem invenimus. sed ne in septenariis troch. quidem, qui minus diligenter a Terentio ipso conformati sunt, accentus grammaticus violatur, id quod cum posterioris poetae more optime congruit.

Deinde haec sunt statuenda. nonnulli versus, sicut codice traditi sunt, aut prorsus aut aliquatenus tantum Terentio ipso digni sunt; ceteri plus minusve coniecturis mutata codicum lectione modo propius ad Terenti exemplar accedunt, modo — inprimis in syllabis metiendis — a Terentio abhorrent. scriptor ergo, cum Terenti artis metricae aliquam notitiam haberet — et potuit eam hausisse ex libris de re metrica Terentiana a grammaticis scriptis — id egit, ut Terentium in versibus conficiendis adsequeretur. quodsi Ritschelius de alterius exitus versibus dixit[2]) 'ne uno quidem exemplo ostendi posse tales umquam versus a posterioris aetatis homine factos esse, quos quantumvis vellent, pridem dedidicissent facere', hoc argumentum etiam tum, si optimi essent hi versus a nobis restituti, nullius momenti esse ducerem.

Unum nobis opponi potest, aequo vehementius nos in verbis transponendis, mutandis, supplendis egisse. sed primum si respexerimus, quanta saepe in codicibus optimi generis menda extent, velut codex Ambrosianus, certissimum in Plautinis fabulis restituendis auxilium, quod ad verborum ordinem adtinet, saepe minime is est, cui confidere possimus, deinde si nobiscum reputaverimus, quam facile fieri potuerit,

[1]) Cf. O. Podiaskii dissertationem supra commemoratam.

[2]) In parerg. diss. X, p. 595.

Digitized by Google

ut hic illic verba archetypi a librario celeriter et neglegenter scribente omitterentur, denique si memineris verba plerumque tunc tantum a nobis inserta esse, cum vestigia litterarum vel lacunam in codice deprehendisse nobis videbamur vel sensus supplementum aliquod postulabat, iam non tam audax esse videbitur tibi ea quam adhibuimus via atque ratio. accedit, quod uno[1]) tantum codice uti nobis licebat neque facile statui potest, quae lux fortasse nobis effulsisset, si alterum saltem librum in nostram rem convertere potuissemus. quid quod etiam, ubi complures libri supersunt, de vera nonnumquam lectione dubitari potest.

Cap. III.
Argumentum huius exitus explanatur.

In argumentum ipsum antequam accuratius inquiram, id repeto persaepe orationum tenorem atque argumentum et quomodo eae inter se cohaereant aegre perspici posse. sed singula accuratius examinemus. Charinus Pamphilum adpellans, quem se exspectare dixit, ab illo laetitia exultante certior fit sibi omnia bene evenisse. iam difficilis existit quaestio, cui Andriae versui hunc exitus primum versum adiungamus vel potius adiunctum fuisse nobis fingamus. nam cum iam in v. 959 sq. Pamphilus subauscultante Charino secum loquens summo gaudio elatus de prospera fortunae vicissitudine verba fecerit, nunc miramur Pamphilo eadem fere repetente Charinum ne uno quidem verbo indicare se omnia audisse, immo statim poscere, ut se quoque „in portum deducat." unde facile concludas eum, qui hunc exitum confecit, versus Andriae inde a 957. imitatum — et revera eos ut alios imitatus est — hanc appendiculam scripsisse eo consilio, ut pro tota illa extrema Andriae parte esset. sed hoc ea de causa veri dissimile est, quod qua ratione Davus de prospero eventu compererit, tunc intellegi non potest. tum Charinum quoque extra scaenam Glycerii agnitionem comperisse sumeremus necesse esset, quod nisi gravissimis causis persuaderi mihi nequit. immo credo Charinum post Pamphili verba: *Quasi — voluptatem* gestu quodam[2]) se omnia scire significare et tum demum petere, ut sibi quoque consulatur.[3]) quod si concedis, dubium esse non potest, quin

[1]) Vel ex hac re concludere possis non magni pretii esse hunc exitum; nam alias certe in plures libros manavisset.

[2]) De gestibus cf. quae Leo in Mus. Rhen. XXXVIII 336 sq. exposuit.

[3]) Si quis in eo offendat, quod hunc exitum numquam in scaena actum esse pro certo habemus, huic obicio facile poetam, etiamsi non de actione cogitaret, tamen id quod nos statuimus, effingere voluisse.

Digitized by Google

ad v. 974. hic exitus adfigendus sit. ceterum poeta ingenioso num hoc dignum sit, alia est quaestio.

Sed media Charini oratio a Pamphilo iterum de fortuna sua praedicante interrumpitur ita, ut Charini enuntiatum in duas partes discerpatur.[1]) tum demum quid sibi cordi sit Charinus perorare potest. nihil autem ei respondet Pamphilus, sed eo ipso temporis puncto ad Davum convertitur, siquidem nostram interpretationem sequi tibi in animo est. sed utut res se habet, observatione dignum est Charinum nullo verbo a Pamphilo adpellari. Charinus autem servo abituro, cuius callidi tati iam antea (v. v. 711 — 714) totum se commiserat, obsistens *Et de me*, inquit, ... *curare oportet* pergere vult, sed a Davo verbis *Quid moraris?*[2]) interpellatus hic quoque carptim tantum ea, quae animo volvit, proferre potest. de Davi audacia, qua verba: *faucibus me urget* profert, iam supra disputavimus (cf. pag. 14 adn. 4).

Mox Chremes intrat, quem Pamphilus, ut amico morem gerat, statim his verbis adloquitur: *O mi Chremes vellem .... dicere quod rem in tuam est.* verum quae sequuntur verbis Chremetis indignationem excitat, siquidem nos ea — nisi forte expectatione magis corrupta sunt — recte explicavimus. sed nihil curans senis verba Pamphilus enuntiatum inceptum his verbis continuat: *Virum te et illa dignum*, quod confirmaturus Davus addit: *quantivis preti est.* ab hoc igitur versu subito Charini partes sequitur Davus eumque certatim cum Pamphilo seni commendare studet. Chremeti igitur roganti, quis sit, Davus sine dubio manu monstrans Charinum designat, iuvenem nulli ex vicinitate posthabendum, quem sibi notum esse Chremes respondet et Pamphilus, quo magis seni commendet, a puero amicissimum sibi esse dicit.

Magnam deinde difficultatem habent verba Chremetis: *Ne moram ad alia faciamus.* nam ut omittam quae iam supra (p. 17) de iis dixi et quae infra proferam, ne cogitari quidem potest senem serio loqui, si id spectamus Chremetis ipsius interesse, ut alteram quoque filiam viro digno nuptum collocet. quare haec verba ita interpretanda esse censeo, ut Chremes alios quoque de Charino degustaturus — per iocum, nam illum ei bene notum fuisse ex eius ipsius verbis elucet — interim hoc tantum agat, ut Pamphilum et Davum pro Charino deprecantes aliquamdiu differat.[3]) quocum id quoque optime congruit, quod postea (v. XXII. sq.) tunc demum uberioribus verbis alteras quoque nuptias

---

[1]) Etiam in Terenti ipsius comoediis nonnumquam interlocutorum sermones interrumpuntur, sed nullo loco — omnes inspexi — tam violenta ratione quam in hoc exitu.

[2]) Hic ut deinceps sola codicis verba citabo.

[3]) Fortasse erunt, qui dicant frustra me haec verba utpote pessimi poetae explicare studuisse; atque ipse concedo ob eam tantum causam tali circuitione usum esse hunc scriptorem, ut Simonis reditus in scaenam excusaretur.

Digitized by Google

sibi placere ait, cum etiam a Simone audivit *optimum iuvenem* esse Charinum.

Sed iam ad id, unde digressi sumus, revertamur. Chremetis verbis satis asperis Pamphilus non deterretur, quominus iterum amicum collaudet. iam ex Chremetis responso: *assentior* adparet senem ad Pamphili sententiam perductum esse. hoc responso gaudens Davus sperare se dicit erum „sapientem consilio usum" iuveni probo Philumenam sponsurum esse.

Tum in scaenam prodit Simo, qui cum Chremete communicat eius filiam (Pasiphilam) iam in domum suam translatam esse. sequuntur deinde verba illa non minus obscura atque ea, quae leguntur in v. VIII. sq. dicit enim Chremes: *Quid est quod quae instant necligis?* quae nisi vi quadam adhibita explicari non possunt. sic autem velim ea intellegas, ut hic subsit sensus: Tu hoc solum nobis nuntias et de aliis rebus, quae instant, (de alteris nuptiis) nihil loqueris? etiam iocosi aliquid in his verbis subest, quia fieri nequit, quin Simo, quod nondum comperit, neglegat. simul haec et quae in v. XVIIII. et XX. sequuntur verba eo consilio dicit, ut a Simone quoque ex improviso de alterius filiae nuptiis cum Charino celebrandis certiore facto exquirat, quid de illo sentiat. tum demum igitur scrupulo ex animo evulso Chremes in Simonis laude adquiescit et valde gaudere se profitetur, quod Simoni quoque Charinus probetur. deinde sine dubio iocans in ea, quae in v. 913 Simo Critoni crimini dederat: *Ac meretricios amores nuptiis conglutinas*, malitiose rogat, num Charinus tam probus sit, ut „familia undique conglutinetur", et nuptias sibi placere dicit. quas ut simul cum amico sibi adparet Pamphilus servo imperat.

Quae deinde in codice fuerint verba ne divinari quidem potest, quia nescimus, num Davi verba ultima sint; quamquam veri simile saltem est post Chremetis verba ceteros abisse, Davum solum autem, ut verba extrema diceret, in scaena mansisse.

Iam te intellexisse spero, quam perversus sit titulus ille his versibus in codice praepositus: *Ultima scaena in Andria.* nam hae sunt tres scaenae: I. a v. 974. usque ad v. VI., II. a versu VI. usque ad v. XVII., III. et ultima a v. XVII. usque ad finem.

Sed quo facilius intellegatur, quomodo versus interpretandos atque inter se conectendos esse existimem, iam propono lecturis hunc exitum totum in linguam Germanicam translatum:

Digitized by Google

Der dritte Ausgang der Andria.

1. Scene.

Charinus. Pamphilus. Davus.

Charinus.

Auf dich hab' ich gewartet, Pamphilus.

Pamphilus.

Mir ward der Götter Seligkeit zutheil!

Charinus.

So denk' auch mich...

Pamphilus.

Welch' Glückstern strahlte mir
In hellstem Glanze auf!

Charinus (fortfahrend).

In sichern Port
Zu steuern!

Pamphilus (zu Davus).

Geh du, Davus, nun nach Haus
Und setze es instand. 's ist Zeit, die Braut
Herüberzugeleiten.

Charinus (zu Davus, der abgehen will).

Doch für mich...

Davus.

Warum hältst du mich auf?

Charinus (fortfahrend).

Für mich auch gilt's
Zu sorgen, dass sein Schwiegervater mir,
Wie ich's erwarte, durch Verschwägerung...

Davus (unwirsch, beiseite).

Der sitzt mir tüchtig auf dem Nacken! (laut) Sieh,
Da ist er ja!

Charinus (fortfahrend).

Mir werde nun verwandt!

2. Scene.

Die Vorigen. Chremes.

Pamphilus.

Mein Chremes, möchte gern...

Chremes.

Was willst du denn?

Digitized by Google

Pamphilus.
Dir über etwas, das dir nahe geht,
Ein Wörtchen sagen.

Chremes.
Nun, was ist's? Ich hör'.

Pamphilus.
Für deine andre Tochter habe ich ...

Chremes.
Was es auch sei, von deiner Hochzeit sprichst
Du gar nichts?

Pamphilus (fortfahrend).
Einen Mann gefunden, der
Dein würdig ist und ihrer.

Davus.
Ja, er ist
Ein Ehrenmann und wirklich Goldes wert.

Chremes.
Wer ist's denn?

Davus.
Der Charinus hier! Der steht
Von all' den jungen Leuten in der Nachbarschaft
Dir wahrlich keinem nach.

Chremes.
Auch mir ist er
Durchaus nicht unbekannt.

Pamphilus.
Von Jugend auf
In Freundschaft mir verbunden, Chremes.

Chremes (abwehrend).
Lass
Das jetzt! Zu anderem!

Pamphilus (fortfahrend).
Brav, wie er ist,
Verdient er's wohl, mit dir verwandt zu sein.

Chremes.
Das geb' ich zu!

Digitized by Google

Davus (zu Chremes).

Klug wie ein Philosoph,
Wirst du's an einsichtsvollem Urtheil doch
Nicht fehlen lassen? — Da ist Simo ja!

Letzte Scene.

Die Vorigen. Simo.

Simo (zu Chremes).

Ich habe deine Tochter schon zu mir
Gebracht.

Chremes.

So, so! Und was geschehn jetzt soll,
Berührst du nicht?

Simo.

Ja, was denn?

Chremes.

Nun, es gibt
'ne Doppelhochzeit!

Simo.

Wem die andere?

Pamphilus.

Dem, der's am meisten wohl verdient!

Simo.

Wem doch?

Chremes (auf Charinus zeigend).

Ich denke, dem!

Simo.

Ein braver junger Mann!

Chremes.

Mich freut's ganz ungemein, dass du mit Lob
Ihn nennst.

Simo.

Ein wackrer Junge, auf mein Wort!

Chremes (ironisch).

So brav, dass wohl von allen Seiten nun
Sich unsere Familie sogleich
Verkuppeln sollte?

Pamphilus.

Dass du sie ihm geb'st!

Chremes.

So sei denn all' dies so!

Digitized by Google

Pamphilus.
Und dass er jetzt
Zugleich mit mir kann Hochzeit feiern, das
Sei deine Sorge, Davus, hier und dort!
Bestell' es gut denn!

Davus.
Zweifach ist die Lust,
Die ich nach soviel Ungemach verspür'!.....

Cap. IIII.

Hunc exitum a Terentio abiudicandum esse.

Absolutis iis, quae ad textum restituendum atque explicandum pertinent, iam nostrum est, ut quaeramus, Terenti sit hic exitus necne. equidem compluribus de causis eum Terentio indignissimum esse existimo. ac duo sunt genera argumentorum, quae ad veritatem extricandam valent, et ex dicendi genere et ex rerum tenore hausta.

Agmen ducant argumenta ex dictione deprompta. qua in re cum supra hanc illam tantum locutionem leviter tetigerimus, iam scriptoris universam loquendi consuetudinem inlustremus.

v. I. *Quasi deorum inveni voluptatem.* Terentius ipse simpliciter dicit Heaut. 693: *Deorum vitam apti sumus;* Hec. 843: *Deus sum, si hoc ita est.* ceterum conferas de magno gaudio cum deorum felicitate comparato inprimis Andr. v. 959,[1]) qui sine dubio scriptori ante oculos obversatus est: *Ego **deorum** vitam eapropter sempiternam esse arbitror, quod **voluptates** eorum propriae sunt:...*[2]) primo obtutu mira esse videtur locutio *invenire voluptatem*; sed Eun. v. 1034. si inspexeris, ubi legitur: *mearum voluptatum omnium inventor*, intelleges hunc locum, quo sane de inventione voluptatis a Parmenone servo pro alio facta mentio fit, scriptori exemplum fuisse.

Et me in portum deducere memento. locutio *deducere aliquem in portum* (tamquam navem) eandem vim habet atque *in locum tutum transferre* sive, ut breviter loquar, *adiuvare.*[3]) expressa autem haec est non inlepide ad eam, quam legimus in v. 480: *ego in portu navigo* (nos:

---

[1]) Cf. Spengelii ad hunc versum adn.

[2]) Alia id genus in A. Ottonis libri de proverbiis Rom., ed. Lips. a. 1890. p. 109., 5. accurate congesta sunt.

[3]) Cf. nostras locutiones: Hafen des Lebens; sein Schäfchen (ortum ex 'Schiffchen'?) ins Trockene bringen. ad navigationem etiam Phorm. v. 698 adluditur.

Digitized by Google

ich bin in Sicherheit). conferas etiam Cic. ep. ad fam. VIIII, 6, 4: *quod . . . es . . . in portu* Petr. sat. 101: *deducere navem in portum* (sensu proprio).[1]) in Andriae v. 845: *omnis res est iam in vado* similis inest sententia; cf. Heaut. 689 (695): *Nam amici quoque res est videnda in tuto ut conlocetur;* Ad. 267: *In tuto est omnis res.*

v. III. *i domum.* Terentius *abi domum* dicere solet, cf. Andr. v. 978: *Tu, Dave, abi domum*; Ad. 699: *Abi domum.*

[*nuptam convenit iam educere*][2]). verbum conveniendi Terentius, si vim habet adeundi vel adloquendi, cum accusativo coniungit (cf. Eun. 1005, Phorm. 897, Hec. 178, Ad. 757 al.), si vim quadrandi, cum dativo (cf. Andr. 366 *num videntur convenire haec nuptiis,* Phorm. 726; adde huius exitus v. XVIIII: *Cui optime conveni*[*un*]*t* = qui maxime nuptiis dignus est). sed etiam absolute sensu decendi hoc verbum et a Terentio (cf. Eun. v. 494 iam p. 14 citatum) et ab aliis adhibetur. cf. Plin. h. n. 18, 33: *quamquam prius de rapis dixisse conveniat.*

v. V. *Socerum (affinitate) adiunctum curare (oportet).* verbum curandi Terentius cum supino, quod dicitur, consociat, cf. Andr. v. 684: *inventum tibi curabo et mecum adductum Tuom Pamphilum.* similia verba sunt *dare, reddere, habere.*[3])

[*Faucibus me urget*]. praeter locum illum Sallustianum, quem ante oculos versatum esse huic scriptori per se non veri dissimile est, similes locutiones inveniuntur apud Plautum Cas. 870 *ita manufesto faucibus teneor* et apud Ciceronem pro Cluent. 31: *cum faucibus premeretur.*

v. VII. *rem in tuam.* haec locutio usitatissima est comicorum poetarum; cf. Phorm. 449: *quae in rem tuam sint*; Hec. 249: *in rem et vestram et nostram;* alterius exitus v. 1: *de tua re,* similia.

alterae gnatae. alterae dativi gen. fem. apud veteres scaenicos poetas forma sollemnis est.[4]) de vocabulis *gnatus, gnata* cf. p. 16 adn. 1.

v. VIIII. *virum te et* [*atque*] *illa dignum.* cf. Eun. 748: *Educta ita ut teque illaque dignum*; Heaut. 653: *consecrasti te atque illam,* alterius exitus v. 3: *dignum te atque illa virum.*

v. X. *quantivis hic est preti.* dicimus nos: von beliebig (hohem) Werte, nicht hoch genug anzuschlagen. idem quod nostrum 'Wert' significare *pretium* multis et Plautinis et Terentianis exemplis comprobari potest; cf. Mil. 145: *magni preti*; ib. 558: *me hominem esse omnium minimi pretei* (unter allen von geringstem Werte, der allernichtswürdigste); Ep. 410: *Ne tu habes servom graphicum et quantivis preti*; Ter.

[1]) Otto l. c. s. v. portus 2.

[2]) Verba ex mea coniectura profecta uncis inclusi.

[3]) Cf. Spengelii ad. Andr. v. 683 adnot.

[4]) Cf. Engelbrecht l. c. p. 37.

Digitized by Google

Ad. 891: *hominem maximi preti te esse*; Andr. 856 idem Davus dicit: *videtur esse quantivis preti.*

v. XI. *nulli iuvenum secundus*, quod idem valet atque *nullo inferior*, apud Terentium non legitur, qui omnino vocabulum *secundus* non adhibuit. hac vi primum Vergilius eo usus est; cf. Aen. XI 441:[1]) *Turnus ego haud ulli veterum virtute secundus*, tum Livius XXIII 10, 8: *nulli Campanorum secundus.*

v. XII. *nec a nostra notitia alienus.* Terentius sane ipse *alienus ab aliquo* et *ab aliqua re* dicit (cf. Ad. 338: *iam primum illum alieno animo a nobis esse;* ib. 326: *alienus est ab nostra familia;* adde exitus II v. 19: *alienus abs te*). attamen locutio: *alienus a notitia* miri quicquam habet, nisi forte *notitia* idem fere valet ac nostrum: 'Bekanntschaft, Freundschaft', ut respondeat verbo 'Bekanntenkreis'.

v. XIII. *et mecum a puero complicuit amicitiam.* in hoc enuntiato inprimis locutio: *amicitiam complicare* admirationem movet, quae nullo loco apud Terentium legitur[2]). similem sensum expressum videmus in Ad. v. 440 verbis: *homo amicus nobis iam inde a puero*, Heaut. 183 hoc modo: *nam mihi cum eo iam inde a pueritia Fuit semper familiaritas.* locutionem *a puero* ex ipsius Terenti fabulis sumptam esse nemo negabit coll. Ad. 440: *iam inde a puero;* cf. etiam Andr. 35: *a parvulo*; Heaut. 214: *a pueris*, Ad. 494: *a pueris parvolis*, ib. 962: *usque a pueris;* adde Ad. 41: *iam inde ab adulescentia.* forma *complicuit* solum apud Senecam invenitur; cf. ep. 90, 14: *qui (Diogenes) se complicuit in dolis.*

v. XIIII. *Ne moram ad alia faciamus* [*Ne remoram facias ad alia*]. sine dubio hac locutione scriptor significaturus erat: ne moremur [ne moreris nos], sed ad alia transeamus, vel ut ad alia transire possimus. quam sententiam Terentius longe aliter reddidisset, veluti verbis Heaut. v. 319: *mitte, ad rem redi*, Hec. 135: *ut ad pauca redeam*, Ad. 906: *missa haec face*, et quod omissis aliis maximi momenti est, Phorm. 648: *ut ad pauca redeam ac mittam illius ineptias.* accedant haec exempla: Plaut. Trin. 38: *remoramque faciunt rei privatae et publicae*, Poen. 928: *remora si sit*, Lucilius apud Festum s. v. *Remeligenes* (p. 381 Thewr.): *quaenam vox ex te resonans meo gradu remoram facit.* eo magis miramur imitatorem ex hac locutionum copia non sibi aliquam elegisse. unde fortasse colligi licet hanc locutionem, quae praeterea vulgarem dicendi usum redolet, ac si nos diceremus: Lasst uns keine Umschweife zu anderen Dingen machen, tempore scriptoris usitatam fuisse.

v. XVI. *Ut [tu] sapiens uti non tardas [paras] consilio.* conferas, quod ad sensum adtinet, v. Andr. 589, ubi Davus Simoni dicit: *Numquam*

[1]) Cf. Forbigeri adn. ad hunc locum.

[2]) Neque alibi equidem quamvis data opera vel ex parte aliqua similem investigare potui.

Digitized by Google

istuc quivi ego intellegere. vah consilium callidum; nam hoc quoque loco Davum per ironiam loqui veri non dissimile est.

v. XVII. *Iam ad nos adduci tuam feci.* de hac dictione, quia ad quaestionem propositam expediendam maximam auctoritatem habet, copiosius agere nobis permittatur. etenim vides verbum *facere* hoc loco eodem sensu adhiberi atque *iubere.* id quod non factum est ante scriptorum historiae Augustae aetatem. Terentius ipse iubendi verbo usus eam rem expressit, velut Andr. 228: *Lesbiam adduci iubes,* Eun. 100: *te accersi iussi,* Heaut. 1047: *cur non accersi iubes Filiam* et simili ratione sescentis locis. quam facile igitur ex Terenti comoediis is, qui conscripsit hanc appendiculam, constructionem verborum *iubere* vel etiam *imperare* in usum suum convertere potuerit, in promptu est. quod si non fecit, testimonio hoc nobis esse potest tam usitatum fuisse eius aetate verbum *facere* hoc modo adhibitum, ut, quamvis studeret Terenti sermonem imitari, tamen haec locutio quasi invito ei excideret. de hac constructione conferas quae Thielmann accuratissime explanavit in corporis quod inscribitur 'Archiv für lateinische Lexikographie' vol. III p. 191 sq. qui demonstravit *facere* cum infinitivo passivi, quod idem valet atque *iubere,* ante finem tertii p. Chr. n. saeculi obviam non fieri, ex hoc tempore autem in dies saepius adhiberi; cf. Spart. Carac. 2, 4: *fratrem fecit occidi,* Treb. Poll. Gallien. 3, 5: *Odenatus cuncta eidem nuntiari faciebat.* at forsitan nos quispiam reprehendat, quod huic uni rei tantum adtribuamus. sed in tam paucis versibus etiam ea argumenta, quae primo aspectu fortasse levioris momenti esse videntur, diligentissime adtendere atque examinare meum esse duxi. negari sane non potest multos scriptorum fortasse libros perisse, ex quibus, si servati nobis essent, eluceret iam prius constructionem illam adhibitam esse: sed ut res nunc se habet, praestat in Thielmanni sententia adquiescere eamque in nostram rem convertere.

v. XVIII. *nuptias ingeminamus.* hoc verbum non est Terenti, qui solo verbo *geminare* usus est (cf. Ad. 173). apertum est hunc locum secundum Andr. v. 674: *ex unis geminas mihi conficies nuptias* confectum esse. ceterum vox poetica *ingeminare* invenitur in Verg. Georg. I 410: *Tum liquidas corvi presso ter gutture voces Aut quater ingeminant,* Aen. V 457 *Nunc dextra ingeminans ictus, nunc ille sinistra,* ib. 434: *Multa cavo latere ingeminant,* quem locum Stat. Theb. I 418 imitatus est (cf. Forb. ad hunc v. adn.), VII 578: *Terrorem ingeminat.* Georg. III 45 *vox . . ingeminata . . remugit* (apud eundem *ingeminare* etiam intransitive, ut aiunt, ponitur).[1])

[1]) Cf. Forb. ad Aen. I 234 adn.

Digitized by Google

Adverbia *undique* (v. XXI.) et *utrobique* (v. XXIII.) in Terenti fabulis non inveni.

v. XX. *et* [*quod*] *de hoc probes.* constructionem verborum huius similem apud Terentium indagare non potui. sed si respicimus, quod Draeger [1]) explanavit praepositionem *de* cum verbis affectuum saepe coniungi, non habemus, cur quid mutemus; cf. Cic. ad Att. VI 6, 2 *de Hortensio te certo scio dolere*, Verr. II 1, 30 *flebat uterque non de suo supplicio* et potissimum Cic. ad Att. XVI 75 *quibus de meo celeri reditu non probabam.* quos locos si percensueris, intelleges constructionem illam vulgaris sermonis propriam esse, unde in huius exitus sermonem quadrare eam apertum est. sed cum iam in Ciceronis scriptis exempla similia inveniantur, non est quod hunc potissimum praepositionis *de* usum testimonium posterioris aetatis iudicemus, qua huius praepositionis provinciam in dies magis auctam esse notissimum est.

Iam ut huius quaestionis summam brevibus complectar, haec sunt statuenda: plurima huius exitus vocabula, locutiones, sententiae ex Terenti fabulis sumpta sunt, nonnumquam autem scriptoris dictio a Terenti usu loquendi abhorret.

Transeo ad ea argumenta, quae ex operis arte atque elegantia hauriri solent. ac primum quidem cum totius fabulae argumento ac tenore hunc exitum mirum in modum discrepare quis est quin concedat? respicias quaeso haec. tota fabula in eo versatur, ut Pamphili amoris casus varii usque ad prosperum eventum perducantur breviter tactis iis, quae ad Charini nuptias pertinent, id quod in brevissimo et sine dubio genuino Andriae exitu concinne factum videmus. vero igitur poeta id dignum est, ut, simulatque Glycerium Chremetis filia est agnita, nuptiis Pamphili cum illa constitutis fabula finiatur. sed quid facit hic versificator? Charini, cuius amor multo minore studio a Terentio ita describitur, ut Pamphili constantiae et Davi astutiae illius infirmitas atque consilii inopia opponantur, [2]) fortunam pluribus quam quae tolerare possis verbis exponit aut potius exponere vult. quis enim dubitet, quin poeta pertractatis illis, quae spectatoribus cordi sunt, multis verbis secundariae cuiusdam personae fortuna enarranda eos qui audiant non solum non oblectet, verum etiam defatiget? et Andriae Terentianae maxime applausum esse constat. [3]) itaque cum, si brevissimum exitum genuinum esse sumimus, omnia optime se habeant, nulla est causa, cur hunc, de quo agitur, non suppositicium esse iudicemus.

---

[1]) Histor. Syntax I 630.

[2]) Davi et Byrrhiae personas Spengel in actis acad. Bav. a. 1873, p. 610—612 bene descripsit; in ceteris, quae exposuit, saepius ei adsentiri nequeo.

[3]) Cf. Spengelii praef. Andr. p. VI.

Digitized by Google

Sed etiam inveniuntur, quae actus quinti scaenae quartae, quintae, sextae repugnent. v. 952. Pamphilus patri roganti, cur Pasiphilam in domum suam transferri non iuberet, responderat se Davo mandaturum esse, ut hoc faceret; sed ubi Davum in vincula coniectum esse resciit, senem orat, ut servum vinculis liberari iubeat, nempe ut quod ei imperaturus sit perficiat. venit Davus v. 965. et, ut par est, a Pamphilo in v. 978 sq. Glycerium traducere iubetur. nonne igitur miramur hoc exitus, de quo agitur, v. III. Pamphilum servo idem imperare?[1]) deinde quis est cui non videatur absurdum esse, quod idem in v. XVII. Simo ipse se curasse dicit? sed cur misellus ille poeta hoc ita fecerit, infra explanare studebimus.

Tum nonne in Davi procaci interdum loquacitate offendimus, qui Pamphilo quid faciat praescribit, qui colloquio inter Pamphilum et Chremetem habito se iterum atque iterum inmiscet, ut, quod meo quidem iudicio solum Pamphilum facere decet, Charinum seni commendet, qui quasi Charini aequalis aut Simonis familiaris sit, nulli, inquit, nostrae viciniae secundus est (Charinus)? ac ne quis hic mihi servorum pervulgatam audaciam obiciat. nam, quod ego cognovi, iis solis locis, quibus servorum audacia non est molesta, sive ut risus moveatur — cf. v. 704 et inprimis v. 710, ubi Davus Charinum inpudentem nominat eo consilio, ut qua infirmitate ille sit, demonstretur — sive ut quae sibi proposuerunt, ipsa audacia aut adrogantia adsequantur — cf. egregiam illam actus quarti scaenam quartam, ubi summa procacitate usus Davus Chremetem ludibrio habet, — servos proterve agentes videmus. quanta audacia Pythias ancilla in Eun. v. 859 sq. in Chaeream adulescentem utitur: atqui commeruit ille. neque offendimus, quod Hec. 320 sq. Syrus servus Clitiphonem adulescentem verbis hercle non honorificis persequitur. quibus locis cum mirum non sit servos colloquentes cum adulescentibus, quippe pro quibus dolos excogitaturi semper timeant, ne in pistrinum mittantur, licenter se gerere, hic tantam adrogantiam Davum sibi adsumere, ut suis quoque verbis Charinum bene commendari credat, non est quod decori Terentiano diligenter servato accommodare possim.

Quis vero credet Terentium ipsum Charino tales partes adtribuisse, quales in hoc exitu agit? nam ex quo Chremes introiit, nihil loquitur, et tamen in versibus inde a sexto quidquid agitur eo potissimum consilio compositum esse manifestum est, ut de eius quoque nuptiis bene evasuris iis, qui spectent aut, ut accuratius dicam, qui legant, bona spes iniciatur. quo magis nos taedet huius miselli hominis,

[1]) Iam supra ostendimus (v. p. 13) Davum nullo modo haec quae nos Pamphilo tribuimus verba dicere posse.

Digitized by Google

qui nihil agit, sed solum in aliorum commendatione nisus ne tunc quidem, cum nuptiae sibi concessae sunt, verba reperit, quibus Chremeti gratias saltem agat. unde etiam id magis elucet multo meliorem esse alterum exitum, in quo Charini partes, etiamsi non necessariae, tamen non ita inprobandae sunt.

Neque quemquam id fugiat laudes Charino tributas inanes esse et saepius, ut aegre feras, repeti, veluti his locis: *Virum te et illa dignum*, *Probus* [*et*] *quantivis hic est preti*; *Nulli nostrae viciniae iuvenum secundus*, *Nec a nostra notitia alienus*, *Et mecum a puero complicuit amicitiam*, *Assentior*, *Cui optime conveni*[*un*]*t*, *Me hercle optimo iuveni*; *Probus est certe*; quae omnia nihil nisi inanem verborum strepitum esse quis est qui neget?

Aliud in quo offendimus id est, quod Simo in ultima scaena denuo prodit. nam et superflua est haec res neque congruit cum Terenti in personis producendis ratione. quid enim quaeso ea persona hoc loco opus est, quidque ea proficitur? et quis Simonem, postquam in v. 956. abiit, reversurum esse opinatur et eo tantum consilio, ut a se iam transferri iussam esse Pasiphilam nuntiet et Charinum satis superque iam collaudatum et ipse *optimum esse* adseveret? ex quibus adparet, quare in hoc exitu non Davus, sed Simo Pasiphilam traducendam curet: certe ut poeta de ea re Simonem referentem faciens habeat, quo Simonis reditum auditoribus probabiliorem reddat. iam videmus id molitum esse scriptorem, ut Charini laudes maxime accumularet simulque praeter Chremetem etiam Simonem in scaenam reduceret. hoc studium ipsius poetae inbecillitate ad inritum redactum esse maleque eum rem gessisse ex iis, quae exposuimus, eluxisse spero.

His igitur argumentis, quibus commovemur, ut hunc exitum a Terentio abiudicemus, et id accedit, quod in nulla totius fabulae parte plus quattuor personae simul partes agentes inducuntur; quid quod in quinque tantum scaenis (2, 5; 3, 1; 4, 2; 5, 2; 5, 4) plus tres personae prodeunt. accedit quod tota fabula Simo cum uno Charino nusquam colloquitur.[1]) quibus de causis credere non possum in ultima scaena Terentium quinque simul personas agentes produxisse. sumere autem Charinum fortasse abisse Davi verbis in v. X. et XI. vetamur, quae solum de praesenti persona apte dici possunt.

Haec igitur ex iis, quae modo disseruimus, sequuntur: brevissimus Andriae exitus, qui optimis codicibus exhibetur, cum omni ex parte cum Terenti arte congruat, eum, de quo agimus, spurium esse statuamus necesse est. neque hercle quisquam Terentio eum dignum esse

[1]) Cf. F. Schmidtii diss. de numero actorum apud Plaut. et Ter. ed. Erl. a. 1870., p. 39. adde, quae Dziatzko in praef. Phorm. p. 24. adn. 3. disputavit.

Digitized by Google

contendet. immo certissima argumenta extant, quibus ab alio scriptore eum compositum esse evincatur. nam et locutiones aliis locis Terentianis adhibitae verbotenus satis incondite repetuntur et dictio tam inelegans est, ut sumi nequeat Terentium fuisse huius miselli opusculi auctorem. accedunt argumenta gravissima ex rerum tenore sumpta, quibus nisi hunc exitum a Terentio abiudicandum esse iudicamus. posterioris autem aetatis mea quidem sententia constructio illa: *iam ad nos adduci tuam feci* certissimum est indicium.

Cap. V.
De huius exitus scriptore.

Restat, ut quaeramus, cuinam exitus, de quo disputatur, adtribuendus sit. qua de re certum iudicium proferre quam difficile sit ex virorum doctorum de altero Andriae exitu diversis sententiis adparet. etenim hunc Ritschl[1]) veteri et bono poetae vindicavit; quem initio secutus est A. Spengel[2]) ratus adeo ante brevem exitum eum a Terentio ipso compositum esse: contra Braun[3]) grammatico cuidam vel viro docto saeculi IIII. p. Chr. n. adscripsit, Dziatzko[4]) de grammatico saeculi p. Chr. n. secundi cogitavit, Greifeld[5]) eum ab histrione septimi a. u. c. saeculi compositum esse censuit. quae cum ita se habeant, iure suo quis temeritatem nostram accusaret, si quo tempore aut a quo homine exitus, de quo agitur, scriptus esset pro certo demonstrare conaremur. nihilominus tamen saltem aliquatenus quae fuerit eius scriptoris natura atque indoles ostendi potest.

Etenim constat ex eis, quae disputavimus, eum, qui hunc exitum scripsit, vulgari sermone in scribendo usum esse. constat praeterea multum eum in Terenti fabulis legendis versatum esse atque ex aliis etiam scriptoribus latinis, veluti ex Vergilio (Livio), Cicerone, fortasse quoque ex Sallustio quaedam in usum suum vocasse. non ante finem saeculi p. Chr. n. tertii eum vixisse certo quod ipse de se dedit testimonio evincitur; cf. p. 31. de consilio, quod in hoc exitu componendo secutus est, iam supra hic illic verba fecimus. diximus inter Andriae personas

---

[1]) In parerg. diss. X p. 594.

[2]) In act. acad. Bav.; in altera vero Andriae editione ne typis quidem excudendum curavit hunc exitum.

[3]) In quaest. Terent. p. 21.

[4]) In ann. phil. a. 1876, p. 235 sq.

[5]) Cf. eius diss. 'de gemino Andriae exitu' scriptae, ed. Berol. a. 1886, p. 42.

Digitized by Google

Charinum et Simonem huic poetae maximae curae fuisse. sed dum id agit, ut laudes Charini quasi in astra tollat, non vidit a fabulae argumento id dissentire, quod et Chremes et Simo Charinum sibi notissimum esse dictitant, cuius notitiae per totam fabulam nullum vestigium deprehendi potest. et quid quaeso, ubi primum Chremes in v. XII. dixit se nosse Charinum, infacetis illis quae sequuntur laudationibus opus est? et nonne Pamphilus Charinum initio quasi contemnere videtur, quippe qui nihil cum illo ipso colloquatur, cum inde a v. VI. toto pectore ad laudem amici incumbat? nec minus lapsus est huius exitus scriptor in Davi persona. nam cum perspexisset hanc esse principem totius fabulae personam, etiam in ultimis scaenis auctoritatem aliquam ei inpositurus rem ita instituit, ut servi liberati quoque commendationes haud parvi momenti esse viderentur. quare etiam Pamphili loco Charino respondet et Pamphilum in Charino collaudando pro virili parte adiuvat.

Porro is qui hanc appendiculam composuit certe alterum Andriae exitum ante oculos habuit, id quod vel ex similibus locutionibus et verbis, quae in utroque exitu reperiuntur, concludi potest; cf. exitus II. et III. initium isdem verbis factum: *Te expectabam;* deinde v. VI. sq. *vellem dicere, quod rem in tuam est* cum v. 982: *est de tua re, quod agere ego tecum volo;* v. VIIII *virum te et illa dignum* cum exitus alt. v. 3: *dignum te atque illa virum;* v. XII. sq. *Nec a nostra notitia alienus* cum exitus alt. v. 19. *Alienus abs te, tamen qui tu esses noveram.* etiam verba *Tua affinitate sua virtus est dignissima* (v. XV.) eandem fere vim habent quam II 7: *Non idcirco, quod eum omnino affinem mihi nollem* (nam mihi persuasum erat adfinitate mea eum dignum esse).[1]) et

[1]) Hoc loco breviter, ne extra fines mihi constitutos vagari videar, quid de exitu altero iudicem, explanare mihi liceat. cum Braunii opinatio iam primo aspectu conruat — nam e codicum ratione nihil aliud concludi potest quam Calliopium non recensuisse hanc appendiculam — et Dziatzkonis sententia nimis argute ad id quod voluit comprobandum excogitata a Spengelio (in Burs. ann. a. 1876, 2, p. 364) refutata sit, non habemus, cur posteriore demum aliqua aetate hunc exitum extitisse putemus. certe non tam brevi tempore ante Donatum eum compositum esse ex huius grammatici ipsis verbis sequitur. dicit enim: *hi versus negantur Terentii esse* (vid. ed. Umpf. p. 83). iam liquet virum doctum, cum ita scriberet, non suam sententiam protulisse, sed aliorum repetiisse. quod ni ita se haberet, certe dixisset: *hos versus nego Terentii esse* sive: *hi v. T. non sunt.* et hercle quominus antiquis temporibus hoc additamentum vindicemus, nulla causa inpedimur. nam quod ad dictionem et copiam verborum adtinet, nihil invenies, quod a sermone comicorum poetarum abhorreat, neque ex re metrica hi versus, quos diligenter examinavi, ullam offensionem praebent. metra, pedum conformationes, prosodiacae quae dicuntur licentiae, caesurae prorsus cum poetarum scaenicorum usu congruunt. quare probabilis mihi videtur esse Greifeldii coniectura, qui ab histrione VII. u. c. saeculi haec adiecta esse arbitratus est. a Terentio ipso compositum non esse exitum alterum iam alii, inprimis Dziatzko l. c., demonstraverunt.

Digitized by Google

penitus etiamnunc perspici potest, quomodo alterum exitum et cetera, quae sibi exempla esse voluit, scriptor imitatus sit. nam praeter exitum ille et Andriae partem extremam inde a v. 957. et aliquot fabularum Terentianarum versus adhibuit, de quibus iam satis disputavimus.

Iam p. 24. cum argumentum explanavissemus, tres huius exitus scaenas distinguendas esse docuimus: quarum prima secundum Andr. v. 957—981, altera secundum exitum alterum conficta est, tertia ex scriptoris ipsius rivulis fluxit. alterius exitus prima verba cum essent *te expectabam*, suum quoque ab his verbis initium capere voluit scriptor. sed sive intellexit haec verba in Pamphili ore nequaquam apta esse — et offenderunt in hac re viri docti — sive eo consilio ductus est, ut personas mutaret, id quod saepius fecit, Charinum haec verba loquentem fecit, quod per se non ineptum est. quae deinde sequuntur Pamphili verba: *Quasi deorum inveni voluptatem* sine dubio expressa sunt secundum v. 959 sq., ubi idem Pamphilus fortunae improvisae laetitia perfunditur. verba Charini *deducere memento* ex uno Andr. v. 977. verbo: *Memini* fluxisse puto. in genuino enim exitu Pamphilus Charino oranti, ut Chremetem ad alteram quoque filiam collocandam commoveret, dixit: *Memini* et adiecit (v. 978): *Sequere hac me intus: apud Glycerium nunc est*, his verbis significans se pro amico lubenter facturum esse, quae peteret. quibus verbis propositis iam non dubitabant spectatores, quin omnia etiam alteri amatori prospere cessura essent. hic autem, qua est molestia, rem ita instituit, ut Charinum orantem induceret. quo facto necessario accidit, ut imperativi forma uteretur. proxima verba: [*tu, Dave*] *i domum, paraque nupta*[*m*] *conveni*[*t*] *iam educere* tantam similitudinem habent cum Pamphili verbis (v. 978): *tu, Dave, abi domum, Propera, accerse hinc qui auferant eam*, ut non dubitem, quin ex hac Pamphili oratione hausta sint, etsi non plane eadem inest eis sententia. ex verbis insequentibus intellegere possumus, quantae molis fuerit isti versificatori hanc scaenam usque ad Chremetis introitum producere. nam reliqua verba nihil aliud sunt quam farrago locutionum inanium ad similitudinem locorum quorundam Terentianorum effictarum.

Incipit iam altera huius exitus scaena, in qua componenda alterum exitum exemplar imitandum sibi proposuit scriptor. nam Pamphili verba v. VI. sq. *O mi Chremes, vellem . . . dicere quod rem in tuam est* nonne prorsus idem significant, quod exitus alterius v. 1: *est de tua re, quod agere ego tecum volo?* et deinde verba v. VII. sq.: *alterae tuae gnatae inveni . . . . virum te et illa dignum* num quis eundem sensum habere negabit, quem exitus alterius vv. 2. et 3: *Operam dedi, ne me esse oblitum dicas tuae gnatae alterae, Tibi me opinor invenisse dignum te atque illa virum?* tum Davus, qui in altero exitu pauca tantum

Digitized by Google

loquitur, Charini laudes adicit, quae in hoc exitu ultimo usque ad taedium iterantur.

Hucusque ergo imitator repertus est scriptor. sed iam sequitur quod in hortulo eius natum est: Simo in scaenam reductus. qua de persona iam p. 34. disseruimus. profecto unum tantummodo est, quod dehinc probari possit: iocus ille Chremetis: *ut familia nostra undique conglutinetur!* cetera ineptissima sunt. et Davi ultima verba: *Pro infortunio duplex gaudium accipio* (v. XXIII. sq.) nonne repetunt ea, quae iam primi exitus versibus inde a 965. usque ad 973. exposita sunt?

Qui fuerit huius exitus scriptor, cum aliqua saltem probabilitate diiudicari potest. id enim constare mihi videtur ab histrionibus ut ageretur eum non esse compositum; persuaderi enim mihi non potest ullum histrionem vel dominum gregis rerum tam inperitum fuisse, ut hoc exitu iusto longiore taediique pleno spectatorum applausum excitari posse speraret. immo totus hic exitus frigidam grammatici vel hominis cuiusdam docti cogitandi et scribendi rationem redolet. accedit quod mirum est orationes in novem primis versibus tam saepe interrumpi, ut ex rhetorico grammatici cuiusdam studio hos versus fluxisse censeas.

Tempus huius grammatici si accuratius definire audeo, dummodo liceat in re tam incerta coniectura uti, ingenue profiteor mihi veri simillimum esse videri eum illa aetate fuisse, qua studia Terentiana, potissimum opera Donati, renata sunt, quarto p. Chr. n. saeculo. posteriori tempori eum addicere dubito, quia inferioris aetatis poetam ne talem quidem rei metricae Terentianae cognitionem habuisse credo, qualem in hoc inesse didicimus.

Ut denique huius disputationis summam brevibus complectar, hic quem codex Erlangensis praebet exitus, cum et ad totius fabulae argumentum accommodari nequeat et quod ad dictionem adtinet de locis Terentianis vel etiam de altero huius fabulae exitu pendeat, veri poetae ingenio minime dignus a Terentio abiudicandus et grammatico cuidam, qui fortasse quarto p. Chr. n. saeculo vixit, vindicandus est, qui in Terenti fabulis multum et studiose volutatus id sibi proposuerat, ut, cum iam duo extarent Andriae exitus, tertium quoque componeret, quo Charini personam maiore exornaret splendore et Simonem in ultima scaena agentem faceret. haec appendicula, quamquam ab homine, qui minime ingenio utebatur poetico, originem duxit, tamen ob eam causam observatione digna est, quod unicum ex eiusmodi aetatis posterioris studiis ad nostra tempora pervenit testimonium.

Digitized by Google

DE COINCIDENTIA

EIUSQUE

USU PLAUTINO ET TERENTIANO.

SCRIPSIT

Karl
~~CAROLUS~~ SIGMUND.

Digitized by Google

Digitized by Google

Coincidentiae cum C. A. Lattmann et D. Mueller primi in re grammatica tractanda locum dedissent,[1]) Hermannus Lattmann a. 1888 Gottingae librum publici iuris fecit, quo ‚*De coincidentiae apud Ciceronem vi atque usu*' satis amplam instituit quaestionem. unde coincidentiae usum tam late patere cognoscimus, ut mirum fere videatur, quod in eam rem, quae haud dubie multum valet ad propriam ac peculiarem linguae latinae indolem perspiciendam,[2]) his demum temporibus accuratius inquiri coeptum sit; nam praeter libros allatos et M. Wetzelii commentatiunculam ‚Beiträge zur Lehre von der Consecutio temporum im Lateinischen', Paderbornae a. 1885 in lucem emissam, nulla omnino hucusque de coincidentia quaestio prodiit.[3])

Apparet autem si de quovis artis grammaticae capite quam maxime integrum facere velimus iudicium, non in eo adquiescere nobis licere, ut Ciceronem aliumve aureae quam dicimus sermonis latini aetatis scriptorem examinemus, immo redeundum esse ad illos, quorum libris eius sermonis quasi initia continentur. quae cum ita sint, de coincidentibus apud scaenicos Romanos enuntiatis quaestionem instituere conatus inveni enuntiata coincidentia in sermone cottidiano, cuius imaginem fabulae Plautinae et Terentianae exprimunt, pro rata parte multo frequentiora esse quam in Ciceronis libris, id quod ex ipsa comoediae indole explicandum esse infra ostendam.

Itaque profecti ab eis, quae Lattmann et Mueller, quippe qui huius rei fundamenta posuerint, de relationibus, quae inter singula tempora

---

[1]) Cf. gram. lat. ab illis conditam ed. I a. 1863.

[2]) Cf. Lattm.-Muell. gram. lat. ed. V (1884) §§ 118 C, 122 β B, 124.

[3]) Quae ante Lattmannum et Muellerum de enuntiatis coincidentibus a viris doctis prolata sunt, non pertinent nisi ad enuntiata particula ‚cum' et pronomine relativo inter se conexa; cf. H. Lattmanni l. c. p. 2 sq., neque ii, qui Wetzelii et H. Lattmanni libellorum censuram egerunt, praeter G. Ihmium (cf. Phil. Anz. XII 564 et Berl. phil. Wochenschrift a. 1889 p. 887—890) ad coincidentiae indolem accuratius cognoscendam quicquam contulerunt. quamquam digna sane sunt quae inspiciantur ea, quae H. Schmalz in ‚Deutsche Lit. Zeit.' a. 1888 p. 1711 sq., C. Stegmann in ‚Philol. Rundsch.' a. 1888 p. 389 sqq., denique anonymus (—z.) in ‚Wochenschr. f. klass. Phil.' a. 1889 p. 322 sqq. et quae Wetzel in ann. phil. a. 1889 p. 831 sqq. de Lattmanni libello disseruerunt.

Digitized by Google

intercedunt, exposuerunt, ipsa coincidentiae notione explicata iam ea, quae H. Lattmann l. c. de generibus enuntiationum coincidentium et de temporum modorumque in iis usu nobis minus recte disputavisse videtur, corrigemus et explebimus, tum de coincidentiae usu Plautino et Terentiano fusius agemus.

Pars prior.

I.

Lattmann et Mueller docent unumquodque tempus et absolutam et relativam vim habere posse.[1]) atque absolutum tempus tum usurpari, cum tempus actionis cuiusdam per se ipsum nulla alterius actionis temporis ratione habita eo significetur, relativam vim tum inesse in tempore, cum non solum ipsius actionis tempus, sed etiam ratio, quae inter huius actionis et alterius cuiusdam tempora intercedat, tempore illo exprimatur. tres autem inter tempora verborum intercedere relationes statuerunt: congruentiam, antecedentiam, coincidentiam. quam doctrinam si accuratius perpenderimus, vix claram eam ac perspicuam esse intellegemus.

Ac primum quidem, quod attinet ad congruentiam, in enuntiato *dum lego adsentior* vel *Hercules tum dolore frangebatur, cum immortalitatem ipsa morte quaerebat*, tempora verborum secundariorum — id quod illi docent[2]) — ad primaria referri equidem mihi persuadere non potui; immo si quandam temporum relationem in his et similibus enuntiatis statuere velis, tempus verbi primarii referri oportet ad tempus secundarii; nam hoc tempore actio primaria definitur[3]). iam quod pertinet ad antecedentiam,[4]) ratio quae intercedit inter verba enuntiatorum *nuntio quod vidi* et inter *nuntiavi quod videram* vel *nuntiabo quod videro* ex re grammatica longe alia iudicanda mihi videtur. neque enim perfectum *vidi* propter praesens *nuntio* ponitur, sed sine dubio actione videndi per se spectata flagitatur. contra in duobus reliquis exemplis

---

[1]) Cf. gram. lat. ed. V § 99.

[2]) l. c. § 106, 1.

[3]) Hanc vero relationem minime spectare ad rem grammaticam contra Wetzelium ‚Beiträge' p. 14 sq. cum Ed. Luebberto ‚Gramm. Stud.' Breslau 1867 — 1870, part. II p. 159 contendo; neque cum Wetzelio de distinctione temporum relationum ab eo l. c. p. 15—17 proposita consentire possum. sed cum sententiam suam iam mutaverit (cf. ann. phil. 1889, p. 831 et 838), hanc rem nolim uberius pertractare.

[4]) Cf. Lattm.-Muell. l. c. § 107.

Digitized by Google

verba *videram* et *videro* nulla alia de causa posita sunt, quam quia actiones, quae iis continentur, tempore antecedunt actionem nuntiandi; nam conexu syntactico soluto utrumque verbum loco altero perfecto *vidi nuntiavi*, altero futuro *videbo nuntiabo* ecferendum est. cum autem actiones ipsae inter se comparantur, tum demum temporum diversitas existit. apparet igitur definitionem, quam Lattmann et Mueller de tempore relativo protulerunt, in nullum convenire eorum enuntiatorum, in quibus tempus verbi secundarii — cum actiones versantur in praeterito aut futuro — primarii tempus antecedit. grammaticam autem relationem temporum tum demum inter duo verba intercedere arbitror, cum verbo altero non tempus actionis per se enuntiatae indicatur, sed actionis alterius ratione habita modoque interdum mutato aliud tempus ponitur atque adhibitum esset, si altera actio non esset spectata.[1]) quam relationem temporum grammaticorum significari non posse oratione nisi tempore praeterito et futuro ultro efficitur ex ipsa rerum natura; nam si, ut exemplo utar, actio, quae tempore loquendi ad finem perducta indicatur tempore perfecto adhibito, vel actio, quae fit loquendi tempore, refertur ad alteram actionem temporis praesentis, hac relatione nequaquam mutatur temporalis actionum ratio, ita ut soluto etiam conexu grammatico eadem tempora poni oporteat.[2]). ab hac sententia prorsus ab-

[1]) Cf. ea quae Em. Hoffmann ‚Die Construction der lat. Zeitpartikeln' Vindob. 1873[2] et Ed. Luebbert l. c. part. I, p. 2 sq., 98 sq., II p. 19 de hac re disseruerunt. nuper H. Lattmann in libro ‚Selbständiger und bezogener Gebrauch der Tempora im Lateinischen', Gottingae 1890 edito, quem librum hoc opusculo iam confecto mihi inspicere licuit, ea secutus, quae W. Gardner Hale exposuit in libello: The cum constructions: their history and functions (Part I: Critical, Ithaca, N. Y. Published by the University 1887) in Hoffmanni et Luebberti de absolutis et relativis temporibus doctrinam tamquam falsissimam omnique fundamento carentem vehementer invectus est. dicit enim indicativum quantum ad tempus pertineat, eodem prorsus loco ponendum esse atque coniunctivum, nec ideo — id quod Hoffmann primus docuerat — indicativo imperfecti et plusquamperfecti posito tempora verborum in enuntiatis temporalibus absoluta esse neque coniunctivo relativa fieri, immo omnibus locis imperfectum et plusquamperfectum — sive indicativi est sive coniunctivi — relativam vim habere, perfecto autem in iis enuntiatis semper absolutam significari actionem (p. 44 sq.). contra Hale tempora verbi finiti semper absoluta esse et solis infinitivis et participiis relationem temporalem exprimi posse docet l. c. p. 18.

[2]) De hac re praeclare egit Hoffmann l. c. p. 79 sq. neque tamen cum eo de temporali futuri simplicis et exacti vi consentire possum; nam rationem temporalem, quae inter binas actiones futuras tum intercedit, cum alteram alteri praecedere verborum forma significatur, non minus spectare ad rem grammaticam existimo quam rationem, quae inter binas actiones praeteritas statuenda est, quarum alteram alteri tempore succedere ipsis verborum temporibus indicatur. neque attinet ad rem in futuro exacto ulterioris temporis momentum principio non infuisse. cf. Hoffmanni l. c. p. 65, adn. 77 et quae Luebbert l. c. I p. 98 sq. de primitiva futuri exacti ratione exposuit; praeterea cf. quae infra disputabimus.

Digitized by Google

horret H. Lattmann, qui l. c. p. 12 sq. ubicumque actio temporis perfecti eiusdem enuntiati ambitu cum actione temporis praesentis cohaereat, perfectum vere relativum esse contendit. at si actio quaedam tempore praesenti exprimitur — sive eo actio significatur, quae ipso loquendi tempore fit, sive quae fieri solet, ut praesens certi temporis notione careat — tempus ex mente loquentis semper actione per se spectata flagitatur itaque absolute ponitur. quacum actione si actio temporis perfecti conectitur, sane haec illam tempore antecedit, sed non minus, id quod maximi duco, praecedit *ipsi tempori loquendi*, ex quo cuiusvis actionis tempus metimur. neque ex duobus locis a Lattmanno allatis quicquam effici arbitror ad hanc sententiam infringendam. priore enim loco, quo haec leguntur: ‚reliqui qui domi manserunt se atque illos alunt' (Caes. bell. Gall. IIII 1) actio manendi actioni alendi tempore non praecedit — nam dum manent, alunt — nec idcirco ut Lattmanno et Wetzelio [1]) videtur, non praesentis, sed perfecti forma a scriptore adhibita est, sed perfecto *manserunt* praesentis vi ornato non minus actio continua significatur, quam altero loco, quo haec extant, ‚hi rursus invicem anno post in armis sunt, illi domi *remanent*' (ibid.). utriusque igitur membri verbum absolute positum esse arbitror. id igitur solum respiciendum est, utrum verbi cuiusdam tempus id sit, quod actione per se spectata poscatur, an alius cuiusdam actionis ratione habita tempus ponatur. quam si grammaticam temporum relationem — et hanc solam spectare debemus [2]) — interpretamur, congruentiam temporum in binis enuntiatis, quorum utraque verba modo indicativo pronuntiantur [3]), ex temporum relationibus seiungendam esse elucet. suo igitur iure Wetzel etiam eam relationum distinctionem, quam H. Lattmann (de coincidentia p. 18) proposuit, reiciendam esse statuit. [4]) is enim coincidentia e temporum relationibus sublata inter tempora verborum has tres relationes intercedere posse docet: congruentiam, antecedentiam, aequalitatem q. d. incongruentem; [5]) sed ea distinctione res logica sola respicitur, [6]) quod ferri nequit. quae cum ita

---

[1]) ‚Selbständiger und bezogener Gebrauch der Tempora im Lateinischen', Paderbornae 1890 p. 14.

[2]) Singula enim orationis membra, si quidem ea, quae dicimus vel scribimus, recte intellegere volumus, conexu quodam oportere inter se cohaerere manifestum est; sed hanc relationem ad solam rem logicam pertinere non minus perspicuum esse censeo.

[3]) Cuius generis sunt omnia, quae Lattmann et Mueller l. c. § 106 attulerunt exempla congruentiae.

[4]) Ann. phil. a. 1889, p. 831.

[5]) Cf. Lattmann-Mueller l. c. § 106, 3.

[6]) l. c. ‚Qua re cum coincidentiam negamus temporum esse relationem, efficimus, ut divisio totius generis, quo relationes temporum continentur, magis respondeat ad

Digitized by Google

sint, Wetzelium verum vidisse mihi persuasi, qui l. c. p. 838 congruentia non tam relationem quam consensum temporum significari contenderit.[1])

Hanc Lattmanni et Muelleri de temporum relationibus doctrinam si fusius pertractavimus, non perdidisse nos operam putamus. hi enim in enuntiatis, quorum verba non absoluti, sed vere relativi temporis sunt, tertio loco coincidentia posuerunt. in quibus autem enuntiatis ea ‚relatio' sit statuenda, his verbis indicaverunt:[2]) ‚Wenn im Haupt- und Nebensatze dasselbe Subject sich findet und auch die beiden Prädicate identisch sind, oder so gewissermaßen ineinanderfallen, dass die eine Handlung in der anderen mit enthalten ist, so muss in der Regel auch in beiden Sätzen dasselbe Tempus stehen. Solche Sätze nennt man coincidente Sätze'. quam coincidentiae explicationem si accurate perpendimus, iam primo obtutu relationem non tam temporum quam sententiarum in h. g. enuntiatis licet statuere, id quod G. Ihm primus contra Lattmannum et Muellerum rectissime contendit.[3]) tum H. Lattmann[4]) quaestione accuratissima de talibus enuntiatis instituta viros illos doctos in exponenda coincidentiae doctrina sibi non constare ostendit plurimisque exemplis allatis demonstravit peculiarem binarum talium enuntiationum indolem in eo esse positam, ut secundaria id quod fiat vel factum vel futurum sit ponatur, primaria, eadem res quid sibi velit cuiusve sit momenti, explicetur, ita ut illud membrum sit pro subiecto, hoc praedicati vim in se habeat,[5]) velut Ter. Andr. prol. 18 sq. *Qui quom hunc accusant, Naeuium Plautum Ennium accusant*, cuius loci mentem sic exprimere possumus: illud hunc (Terentium) accusare est vel idem valet, quod Naevium accusare. iam apparet bina eius generis enuntiata non temporum relatione, quae inter verba finita intercedat, sed interna quadam, rerum dico sententiarumque, ratione coincidentia fieri.

Iam id quaeritur, ecquam *temporum* relationem inter eius generis enuntiatorum verba intercedere iudicemus. H. Lattmann enim, cum l. c.

---

philosophorum praecepta. nam si animo sevocato a loquendi usu id ipsum per se quaerimus' e. q. s.

[1]) Quam sententiam — id quod ex Wetzelii verbis non elucet — in ea tantum cadere enuntiata tenendum est, quorum verba finita in oratione recta modo indicativo proponuntur. nam cum membri secundarii verbum coniunctivo exprimitur, plerumque, velut in enuntiatis temporalibus, veram extare temporum relationem ipso coniunctivo indicatur; cf. infra p. 58.

[2]) l. c. § 108.

[3]) in ‚Phil. Anz.' XII, p. 564.

[4]) l. c. p. 13—18.

[5]) Hanc explicationem ante H. Lattmannum Wetzel paucis adumbravit in libello qui inscribitur ‚Beiträge etc.' p. 14 sq.

Digitized by Google

p. 18 contendit omnia enuntiata coincidentia, si temporum ‚relationem' spectemus, congruentia esse dicenda, inter eas congruentiae relationem intercedere statuit; at temporum congruentiam in talibus enuntiatis non grammaticam, sed mere logicam esse iam supra ostendisse nos arbitramur, tum — id quod summi momenti est — ipsa coincidentium enuntiatorum indole impedimur, ne ullam grammaticam inter eorum verba statuamus intercedere temporum relationem; nam cum in iis non binae, sed singulae bis exprimantur res, ita ut membro altero quid fiat altero idem quid valeat edoceamur, iam perspicuum fit tempora verborum non posse non congruere. utroque ergo membro quia una eademque res continetur, vel ex hac sola causa eidem tempori locum esse oportere in utroque membro arbitramur.[1]) non igitur relativa, sed absoluta in enuntiatis coincidentibus tempora verborum finitorum censemus.[2])

Quodsi Ihm et H. Lattmann coincidentiam e temporum relationibus iure sustulerunt, nos non minus recte enuntiatorum coincidentium, cuiuscumque generis sunt, verba finita absolute esse posita demonstrasse arbitramur. haec autem sententia quantum valeat ad indolem enuntiatorum coincidentium recte perspiciendam, facilius intellegetur, cum de iis enuntiatis disseremus, quarum membra secundaria ad infinitivos pertinent.

II.

De coincidentibus ergo enuntiatis tum demum agi potest, cum actiones, quae idem valere dicuntur a scriptore, tali grammatico pro-

---

[1]) M. Wetzel tempora in enuntiatis coincidentibus ideo aequalia esse dicit, quod bina eius generis membra arto quodam inter se vinculo cohaereant; cf. libellum, qui inscribitur ‚Selbst. u. bezog. Gebr. d. Temp.' p. 48 sq.

[2]) Atque etiam Lattmann et Mueller, quamquam coincidentiam inter temporum relationes receperunt, nonnumquam in eiusmodi generis enuntiatis tempora absoluta esse concedere coguntur. dicunt enim l. c. § 170 II. ubi de *cum* temporali cum verbo temporis absoluti coniuncto agunt: ‚Es wird hiemit nur ein temporelles Zusammentreffen zweier Handlungen bezeichnet, welches aber öfters in die Beziehung der Coincidenz übergeht.' iam videmus viros illos doctos dubitasse non solum idemne congruentia valeat atque coincidentia, sed etiam, num fortasse coincidentium enuntiatorum verba finita, quorum tempora § 106 relativa dixerunt, absolute poni possint. tum H. Lattmann, qui l. c. p. 18 omnes sententias coincidentes in congruentibus habendas congruentiamque temporum relationem esse statuit, idem p. 64 loco Cic. Phil. VI 1, 2 proposito tempus verbi secundarii absolutum esse dixit. neque in altero libro ‚Selbst. u. bezog. Gebr. d. Temp.' sibi ille constat. nam tempora in enuntiatis coincidentibus semper vere relativa esse contendit p. 125, sed p. 90 praesens historicum in enuntiato temporali particula *dum* instructo semper absolute positum esse adfirmat. atqui idem inter bina membra coniunctione *dum* inter se conexa coincidentiae rationem intercedere posse statuit ‚de coinc.' p. 62.

Digitized by Google

ponuntur conexu, ut tempora verborum finitorum in iis ea sint, quae actiones per se ipsae spectatae flagitent. neque ideo magni momenti esse arbitror, quod forma oratoria, quam in eiusmodi enuntiatis saepe locum habere videmus, nonnumquam prorsus deest, neque sententias, cuius generis sunt *quidquid volt valde volt* vel *si erro libenter erro* vel *bene facis quod manes* e coincidentibus tollendas puto, id quod Ihm facit, ‚quod in iis locis scriptoris nihil interfuerit binas tales actiones easdem appellare'.[1]) nam sane concedimus in sententiis, quibus actiones primo obtutu diversae vel inter se contrariae conexu syntactico coniunguntur, ita ut eaedem esse dicantur — et has solas Ihm coincidentes dicit — rationem intimam, quae intercedat inter membrum primarium et secundarium, paulo differre ab ea, quae perspicitur reliquis locis, quos idem secernendos esse censet. attamen eas enuntiationes, quas Ihm removeri iussit e coincidentibus, quia prorsus satisfaciunt legibus, quibus bina enuntiata, ut coincidentia sint dicenda, cohiberi oportere diximus, Lattmann nostro quidem iudicio coincidentibus recte adsignavit. nam si, ut exemplum adferam, enuntiatum: ‚cum tacent, clamant', comparamus cum sententiis ‚bene facis, quod manes', quamquam priore loco enuntiationes duae extant diversae indolis, altero iudicium, quod in universum spectat, fit de actione membri secundarii: tamen utroque loco actio secundaria eadem esse idemque valere dicitur atque actio, quae continetur membro primario; nam illud tacere est clamare et illud manere est recte facere.

Quae cum ita sint, Ihmium nimis angustis finibus coincidentiae notionem circumscripsisse arbitramur, neque quod ille opinatur coincidentia nihil pertinet ad rem grammaticam, immo, ut recte iudicaverunt H. Schmalz[2]) et M. Wetzel,[3]) numquam ex ea tollenda erit. nam in iis enuntiatis, quae cum pendent e verbo dicendi vel sentiendi, proprium sequantur temporum usum, primo loco statuenda erunt coincidentia, non quo usus temporum proprietatem indicet coincidentiae — id quod Lattmann et Mueller existimaverunt — sed quod et primarii et secundarii verbi tempus in recta oratione absolute positum est, ut subiunctis etiam eiusmodi enuntiatis verbo dicendi vel sentiendi nonnumquam eadem membrorum secundariorum tempora maneant. nos igitur id premimus utraque sententiarum coincidentium eandem contineri actionem, ut membro altero alterum explicetur, et formam oratoriam ad sententiarum coincidentiam accedere posse neque tamen necessariam esse, ut coincidentiae rationem valere statuamus, unoquoque loco tenemus.

[1]) Cf. ‚Berlin. philol. Wochenschr.' a. 1889, p. 888–890.

[2]) l. supra p. 41, adn. 3 c.

[3]) Cf. ann. philol. a. 1889, p. 831.

Digitized by Google

Sed iam accuratius explicemus, quaenam enuntiatorum genera, quamquam coincidentes iis contineri videntur sententiae, a ceteris seiungenda sint. coincidentiae enim rationem non solum ad enuntiata particula *cum* vel pronomine relativo inter se conexa pertinere, ut antea viri docti existimabant, sed per omnia fere enuntiatorum genera latissime patere Lattmann et Mueller recte docuerunt et H. Lattmann sat multis locis Ciceronis allatis confirmavit. sed cum hic etiam enuntiata, ubi coincidentiae rationem frustra quaeramus, in suum usum converterit, ea, quae de quibusdam enuntiatorum generibus aut recipiendis in coincidentia aut ab iis seiungendis statuit, diligenter examinemus.

Ac primum quidem H. Lattmann contra Lattmanni et Muelleri doctrinam omnes eos locos, quibus in membris secundariis verba auxiliaria (dico posse, licere, velle sim.) ita sunt posita, ut infinitivi verborum primariorum aut simul intellegantur aut addita sint, e coincidentibus suo iure removit; nam etsi in enuntiatis illis tempora verborum finitorum non possunt non congruere,[1]) tamen ratio, quae inter sententias talium enuntiationum intercedit, longe alia est atque in iis, quas propterea coincidentes vocamus, quod membro altero semper iudicium quoddam vel explicatio rei, quae in altero ponitur membro, continetur. qua de re quia H. Lattmann l. c. p. 8—10 satis accurate egit, non est quod fusius disseramus. neque ideo quae id genus exempla in fabulis Plautinis et Terentianis invenimus in nostrum usum convertere licet. sed quo magis perspicuum fiat, quam arto conexu etiam in sermone cottidiano satis neglegenti bina talia enuntiata inter se cohaereant, ex magna eorum copia hos adferamus locos:[2])

A) Stich. 250 *eo quantum potest;* ibid. 232. Most. 758, Pers. 142 sq., 875; Phorm. 897, Adelph. 423 sq., 427, 743 sq. Capt. 448 *Ut quam primum possis redeas.* Curc. 700, Hec. 760. Aul. 119 *Me rursum quantum potero tantum recipiam,* Asin. 138, Men. prol. 6, 557, Andr. 898, Hec. 447, Heaut. 416, Phorm. 1050 sq., 912.

B) Trin. 854 *Quae uoluit, mihi dixit, docuit et praemonstrauit,* Amph. prol. 139, Hec. 745, Rud. 989, Hec. 764, Cas. 1016 *Qui id faxit, clam*

---

[1]) De relativis h. g. enuntiatis cf. Em. Hoffmanni ‚Studien auf dem Gebiete der lateinischen Syntax', Vindob. 1884, p. 34 et p. 37—42, deinde p. 19 sq., ibid. adn. 27.

[2]) In locis *Plautinis* enumerandis secuti sumus editionem Ritschelianam maiorem quae dicitur (Lipsiae 1871 sqq.); *Mostellariae* et *Persae* locos ex ed. Ritscheliana (Bonnae 1850, Elberfeldae 1853), *Cistellariae* ex Weisiana (Lips. 1837) attulimus; deinde quod attinet ad Casinam et Cistellariam inspeximus ‚Apographum cod. rescr. Ambrosiani conf. et. ed. G. Studemund', Berolini 1889. — *Terenti* fabulas ex rec. C. Dziatzkonis (Lipsiae 1884) adhibuimus. — ubi ex aliis editionibus aliquid hausimus, id suo loco adnotatum est.

Digitized by Google

uxorem ducet semper scortum quod uolet (sic recte Geppert scripsit secutus librum A; ceteri libri exhibent ‚ducat'; at cf. vv. sqq.).

C) Andr. 443 sq. *Dum licitumst ei dumque aetas tulit, Amauit,* Hec. 837, Men. 599 sq.

D) Amph. prol. 123 *Ita uorsipellem se facit, quando lubet,* ibid. 862, 864, Andr. 213.

E) Trin. 503 sq. *ubi dicto nil erat usus spondeo Dicebat,* Men. 592 sq., Stich. 475, Hec. 608.

F) Capt. 995 *Eheu quom ego plus minusue feci, quam aequom fuit,* Phorm. 399. praeterea cf. Capt. 238, Heaut. 1054. neque tamen desunt loci, quibus tempora verborum finitorum inter se discrepent; cf. Men. 1056 sq. *Quom argentum dixi me petere et uasa, tu quantum potest, Praecucurristi obuiam,* ibid. 875. *Eibo atque accersam medicum iam quantum potest,* Adelph. 505. praeterea cf. Rud. 815, Adelph. 350 sq. (coll. Eun. 215), Phorm. 758 sq., Cas. 1017.

Sed non recte iudicavisse Lattmannum de omnibus iis arbitramur locis, quibus membro secundario causa cuiusdam animi motus continetur, primario motus ipse designatur,[1]) velut ‚delectamur, cum scribimus' (fin. I. 1. 3), ‚respiraro, si te videro' (Att. II, 24, 5). et cum l. c. p. 13 dicit eas sententias ita coincidentes dici posse, ut ipsi motus animi et eorum causae in unum cadant, ipse normam, qua enuntiata coincidentia statuit cohiberi, tollit; nam actio quaedam et animi adfectus, quo illa actio excitatur, nullo modo eadem dici possunt. neque quicquam efficimus, si Lattmannum secuti illa enuntiata sic vertimus: ‚Das Schreiben ist uns ein Vergnügen, Dein Anblick wird mir eine Erleichterung sein.' hoc enim modo si loquimur, rationem internam, dico causalem, non significamus. tum in sermone nostro multo laxioribus uti solemus orationis formis, quam quibus vera, quae inter singula membra intercedit ratio logica, indicetur. eodem igitur iure, quo Lattmann coincidentiam illorum enuntiatorum oratione germanica demonstrare studet, eam rationem his similibusque locis omnibus subesse nobis licet contendere: ‚maxime gavisus sum, quod venisti: Deine Ankunft war mir eine große Freude' vel ‚dolore maximo adficior, quod tot amici ceciderunt: Der Tod so vieler Freunde ist ein großer Schmerz für mich' neque tamen Lattmann tales similesque sententias inter coincidentes recepit.[2]) quae

[1]) l. c. p. 12 sq.

[2]) Subiectorum diversitatem coincidentiae sententiarum non repugnare Lattmann ipse p. 26 recte statuit; praeterea cf. ibid. p. 32, 53 sqq. sed quae idem p. 12 de locis ex Nep. XXIII 1 et 3 et e Liv. III 48 depromptis iudicavit, vix recte excogitata duco; nam his locis coincidentiae rationem frustra quaerimus neque contortis Lattmanni explicationibus quicquam lucramur. rectissime vero Em. Hoffmann — Stud. p. 19 et

Digitized by Google

cum ita sint, omnes locos ab eo l. c. p. 44 sq. allatos e coincidentibus enuntiatis removendos esse censemus[1]) neque quos eius generis in Plauti et Terenti comoediis invenimus locos in nostrum usum convertimus.[2])

Deinde Lattmann eas sententias, in quibus bis idem ponitur verbum finitum nulla alia voce adiecta, e coincidentibus secludendas esse censet, quod in iis ‚nihil aliud sit nisi eorundem verborum repetitio, quae fiat praegnanti quam dicunt notione.'[3]) qua in re cum Lattmanno prorsus consentimus, etsi exemplum illud e lingua vernacula petitum — apud Ciceronem enim nullus eiusmodi locus legitur — non satis accurate nobis quidem explicasse videtur. nam si Lattmanni explicationem adhibemus, was ich geschrieben habe, das habe ich geschrieben idem valere quod was ich geschrieben habe, das wird nicht geändert werden, non satis elucet, quaenam sit vis propria verbi primarii. ac nobis quidem in membro primario perfectum vere logicum quod dicimus extare videtur, ita ut actio scribendi, quae membro relativo ponitur tempore perfecti aoristi,[4]) primarii verbi perfecto absoluta atque ad finem perducta ideoque in actionem continuam transgressa repraesentetur, ita ut totum locum sic explicare nos oporteat: quod scripsi, manet scriptum neque potest mutari. eadem explicatione uti debemus in loco quodam Plautino, Cist. IIII, 2, 36, ubi Halisca ancilla cistellam amissam frustra quaerens haec exclamat: *actam rem ago, quod periit periit.* Was einmal verloren gieng, bleibt verloren — neque recuperari potest. quae si recte sunt disputata, bina enuntiata, quorum altero actio quaedam praeterita ponitur, altero status, qui eadem actione effectus est, repraesentatur, ex sententiis coincidentibus haud dubie sunt removenda. atque id unum in Plauti et Terenti fabulis deprehendimus exemplum; nam Mil. 352 *Sed ego hoc quod ago id me agere oportet*[5]) coincidentes habemus sententias; nam h. l. membro primario, quomodo res, quae secundario continetur, fiat vel fieri oporteat, explicatur: Aber ich muss

---

p. 20 adn. 27 — disputavisse videtur, quam ob rem plura de illis locis verba facere supersedeo.

[1]) Cf ea quae Em. Hoffmann de eius generis enuntiatis particula *cum* inter se coniunctis disseruit ‚Die Constr. d. lat. Zeitp.', p. 190 sq., adn. 142.

[2]) Collecta extant exempla in Luebberti libro II p. 239—42 (sub litt. Cd, Ce); eodem spectant aliquot loci p. 207 (sub Aa) allati.

[3]) Cf. l. c. p. 20.

[4]) In lingua enim vernacula praeteritum cum perfecto saepissime confundi sat notum est.

[5]) Cf. Most. 1100 *quod agis id agas.* alius generis sunt Mil. 215 *age si quid agis*, Trin. 981, al.

Digitized by Google

das, was ich thue, ernstlich thun vel mein Handeln soll ein ernstliches Handeln sein.[1])

Iam transgrediamur ad consecutivas quasdam atque adeo explicativas sententias, quae ad verbum faciendi cum adverbio vel adiectivo coniunctum adiciuntur, velut ‚Facio libenter, ut . . . per litteras tecum quam saepissime colloquar' (Cic. fam. I 7, 1), ‚Invitus feci, ut . . . L. Flamininum e senatu eicerem' (Cat. m. 42). huius generis enuntiata Lattmann e coincidentibus suo iure removit; sed cum temporum usum profert tamquam seiungendi causam,[2]) sibi ipse repugnat; nam si haec exempla contulerimus cum locis quibusdam, quibus quin coincidentes extent sententiae, Lattmann non dubitat l. c. p. 72 sq.,[3]) 75 sq.[4]) allatis, inveniemus in illis temporum usum nequaquam ab his differre. ceterum Lattmann quoniam coincidentiam non temporum, sed sententiarum relationem esse statuit, non e temporum usu proficisci debuit, ut sententias quasdam non coincidentes esse demonstraret; immo ante omnia, quae inter bina eius generis enuntiata intercedat ratio interna, respicere eum oportebat. et profecto, si sententias, quarum membrum alterum alteri per particulam *ut* subiungitur, accurate spectamus, quamquam eodem fere loco ponendae videntur atque enuntiata explicativa particula *cum* inter se conexa, ipsa earum indole quominus inter coincidentes eas recipiamus prohibemur.

Apparet enim, si binas actiones in unum cadere volumus dicere, enuntiata, quibus eae actiones continentur, sic comparata esse oportere, ut etiam soluto conexu grammatico separatim spectata eandem rem significent, id quod minime convenit in sententias particula *ut* sive finali sive consecutiva vel explicativa inter se coniunctas. nam bina talia membra tam arto inter se cohaerent vinculo, ut, nisi forte sensum loci turbare velimus, secundaria a primariis seiuncta per se spectari nequeant. tum ubicumque sententia secundaria per particulam *ut* ad verbum faciendi in primaria adnectitur, interna ratio inter haec bina membra longe alia intercedit atque iis locis, quibus enuntiata coniunctionibus *quom (cum), quod, si* inter se cohaerent. quod iam nonnullis

[1]) De reliquis enuntiatis, quae Lattmann l. c. p. 21 secludenda censet, quia cum eo prorsus consentimus, fusius agere omittimus.

[2]) Cf. l. c. p. 37 adn.; iniuria Wetzel l. c. p. 833 Lattmannum reprehendit, quod in enuntiatis finalibus coincidentiam non esse statuendam disertis verbis non ostenderit. nam quisnam quaeso in iis sententiis coincidentiam statui posse putet. cf. etiam Wetzeli ‚Beiträge' p. 35.

[3]) Veluti fin. V 6, 15 Facit . . . Lucius . . . prudenter, qui audire de summo bono . . velit.

[4]) Veluti de nat. deor. I 12, 29 Cum idem . . neget esse quicquam sempiternum, nonne deum omnino tollit? ad Att. II 22, 2 Cum hoc Pompeius . . . vehementer egit, cum diceret e. q. s.

Digitized by Google

exemplis illustrare studebimus: At queritur: impudenter facit Cic. Flacc. 24, 57, Perbelle feceris, si ad nos veneris ad Att. IIII 4 b, 1, Praeclare facis, cum et eorum memoriam tenes . . . et puerum diligis, de fin. III 2, 9, facio et lubenter et ut spero, recte, quod . . . non possum silentio praeterire de leg. I 24, 63. quibus locis utraque membra actiones indicant per se absolutas easque quae ne ulla quidem alia ratione inter se cohaereant quam sententiarum, ita ut alterae alteris quodammodo contineantur; nam loco primo ‚queri' est ‚impudenter facere', altero ‚venire' fuerit ‚perbelle facere' e. q. s. verum longe diversi generis sunt enuntiata: ‚facio libenter, *ut* . . . tecum colloquar' vel ‚feci invitus, *ut* . . . eicerem'. his enim similibusque locis omnibus membra primaria cum secundariis unum efficiunt sententiae ambitum, neque nisi ratione, quae inter ea intercedit, prorsus permutata e conexu syntactico divelli ea licet. nam membra coordinata ‚tecum colloquor: libenter facio' vel ‚Flamininum eieci: invitus feci' alterum alteri nisi hoc modo subiungere non possumus: libenter facio, *quod* colloquor — feci invitus, *cum* eieci. tum vero rationem internam longe aliam fieri quis ignorat? subiungendi enim ratione adhibita ‚facio libenter, ut colloquar' membrum secundarium nihil aliud nisi *obiectum* efficit generalis verbi ‚faciendi'.[1]) quam ob rem neque enuntiato primario per se spectato neque secundario ab hoc soluto ea evadit sententia, quam ambo praebent servato conexu syntactico. neque quicquam refert, utrum ad verbum regens faciendi adverbium quoddam vel adiectivum accedat necne. quae cum ita sint, enuntiata, in quibus membrum primarium verbo faciendi continetur, secundarium a particula explicativa *ut* incipit, a coincidentibus sententiis suo iure seiunxisse Lattmannum arbitramur.

Neque aliter iudicandum esse censemus de iis locis, quibus ad explicandam nominis cuiusdam, quod dicunt grammatici, sententiam membrum secundarium particula *ut* subiungitur primario, velut cf. Ter. Phorm. 835 sq., ubi Phormio parasitus dicit: ‚Vicissim partis tuas acturus est' (sc. Phaedria) et ab Antiphonte interrogatus ‚Quas?' respondet: ‚Ut fugitet patrem'. quo loco ut ex interrogatione Antiphontis elucet, enuntiato ‚ut fugitet patrem' non tam verba ‚partis tuas agere', quam obiectum agendi (partis tuas) explicatur. praeterea cf. Aul. 220 sq. *Heia, Megadore, haud decorum facinus tuis factis facis, Ut inopem atque innoxium abs te atque abs tuis me inrideas*, Phorm. 836 *Te suas (partis) rogauit rursum ut ageres, causam ut pro se diceres.*[2]) neque aliter

[1]) Cf. Bastiani Dahlii librum: ‚Die lateinische Partikel Ut', Christianiae 1882, p. 231 sqq.

[2]) Alia eiusdem generis exempla invenias in B. Dahlii l. c. p. 251 sqq. cur A. Probst ‚Beiträge zur lateinischen Grammatik', p. III ‚Der Gebrauch von ut bei Terenz

Digitized by Google

res se habet, cum obiectum verbi primarii toto enuntiato relativo continetur: Amph. 185 *Facit ille quod uolgo haud solent, ut quid se sit dignum sciat,* Curc. 549 sq. *Quod mandasti feci, tui ut honoris gratia Tuom . . . nuntium ne spernerem.*[1]) Curc. 258, Mil. 346, Poen. 422 sq.

Eadem vero sententiarum ratio iis locis statuenda est, ubi pronomen *idem* ad primarium verbum faciendi adnexum membro secundario explicatur; cf. Aul. 478—80 *Nam . . . si idem faciant ceteri . . . Ut indotatas ducant uxores domum* e. q. s., Merc. 621 sq., Andr. 582 sq. atque eandem explicandi rationem adhiberi oportet, cum ambae enuntiationes inter se coordinantur,[2]) velut Men. 716 sq. *Quia idem faciebat Hecuba, quod tu nunc facis. Omnia mala ingerebat, quemquem aspexerat,* Truc. 145 sq. eodem spectant Men. 858, Poen. 612, 862, Rud. 324 sq. quibus locis quamquam in utrisque membris eaedem extant verborum finitorum formae, actiones, quae membris secundariis[3]) continentur, quid sibi velint, non explicatur primariis, sed illis semper postpositis nihil nisi explicatio vel subiecti vel obiecti primariorum continetur. haec si recte disputata sunt, elucere arbitramur Ciceronianos eiusdem generis locos, quos Lattmann l. c. p. 38 sq. attulit,[4]) e coincidentibus tollendos esse.

Cum his vero exemplis non licet confundere — id quod Lattmann l. c. fecit — eos locos, quibus verbis ‚faciendi idem' membrum secundarium per particulam ‚cum' vel ‚si' adnectitur. nam ex ipsa talium sententiarum structura perspicuum fit vere coincidentes extare

---

und Verwandtes', Lipsiae 1888, loco altero particulae *ut* vim optativam inesse statuerit (cf. p. 293), equidem non intellegere me fateor; neque enim enuntiatum *causam ut pro se diceres* eodem loco quo *suas . . . rursum ut ageres* — ubi in particula *ut* haud dubie optativa inest notio — ponendum esse contendo, immo eodem modo quo v. 835 verba *partis tuas* membro secundario *ut fugitet patrem* explicantur, in versu sequenti illud ‚suas' sc. partis quid sibi velit exponitur enuntiato *causam ut pro se diceres.* eadem ergo vis potentialis, quam Probst v. 835 locum habere statuit l. c. p. 803, in particula *ut* versus insequentis loco altero inest.

[1]) Sic enim cum Goetzio, qui aliqua ex parte Luchsium sequitur (cf. Herm. t. VIII, p. 111), scribendum censeo pro corrupta codicum lectione: quid feci (fecisti FZ) quod mandasti feci tui honoris gratia. apparet autem enuntiatum *‚ut . . . ne spernerem'* non pendere ex verbo *mandasti,* sed referri ad verbum *feci,* cuius obiectum *quod mandasti* explicativo illo enuntiato accuratius definitur. hoc loco Luchsii emendationem (*tui ut*) tam manifestam esse duco, ut mirum fere videatur neque Dahlium l. c. neque H. Schnoorium ‚Zum Gebrauche von ut bei Plautus'. Neomuensteri 1885, eius mentionem facere.

[2]) Eius generis enuntiata J. B. Weißenhorn, ‚Parataxis Plautina' Programm der Königlichen Studienanstalt Burghausen 1883/84 prorsus neglexisse videtur; cf. p. 14—16.

[3]) Sic eas sententias nominare liceat, quae subiungendi ratione adhibita secundariorum vice funguntur.

[4]) De nat. deor. I 25, 71, Verr. II 55, 138.

Digitized by Google

enuntiationes; neque enim in eiusmodi exemplis obiectum ‚idem' membro secundario explicatur, sed tota enuntiata inter se perpenduntur, ita ut secundario res ipsa narretur, primario eadem res cuius sit momenti exponatur; cf. Cic. Acad. pr. II. 5, 13 *Primum mihi videmini . . . cum veteres physicos nominatis, facere idem, quod seditiosi cives solent, cum aliquos ex antiquis claros viros proferunt.*[1]) hoc enim loco enuntiato *cum . . . nominatis* non obiectum *idem, quod solent* explicari apparet, sed totum membrum *idem facere videmini* explicatur sententia temporali. eodem spectat Plaut. Stich. 644, quem unum huiusce generis locum in fabulis Plautinis et Terentianis inveni. ibi poeta Stichum servum haec facit dicentem: *Idem ego nunc facio qui prouiso Sagarinum.* h. l. non obiectum verbi *facio* membro relativo explicatur — hoc enim quid sibi velit e praecedentibus versibus 641—3 elucet —, sed actio *provisendi Sagarinum* cuiusnam sit momenti exponitur enuntiato primario: *Idem facio* quod more fit ac stulte mea sententia, ut homines, si quem exspectent, eum provisant.

Iam de iis locis agamus, quibus enuntiatum secundarium ad primarium per particulam *cum* adiungatur. omnibus particulis temporalibus — ut Em. Hoffmann recte docet[2]) — principio talia tantummodo inter se conectebantur enuntiata, quorum verba in eo tempore versantur, quod actiones per se ipsae spectatae flagitant tempore loquendi. posterioribus autem temporibus cum membri secundarii tempus mente subiciebatur tempori verbi regentis, omnibus iis locis pro indicativo verbi secundarii, quem modum actione per se spectata poni par erat, coniunctivus adhibebatur tempore verbi plerumque mutato. quam rem imprimis cadere in particulam *quom* (cum) ex iis, quae Luebbert et Hoffmann exposuerunt, satis notum est. quodsi sententias coincidentes respicimus, iam apparet bina eius generis membra artissimo inter se cohaerere vinculo logico, quippe quibus non binae, sed eaedem res bis enuntientur. quodsi enuntiata illa per particulam *quom* inter se coniunguntur, non solum quo tempore fiat actio primaria, eodem secundariam fieri orationis forma edocemur, sed etiam, quae inter tales sententias interna ratio intercedat, ipsa verborum finitorum indole indicatur.

Quemadmodum autem ex antiquissima ac primitiva notione locali coniunctionis *quom* vis temporalis et explicativa ortae sint, ostendit Luebbert.[3]) longe aliam viam ac rationem sequitur H. Weber in libello

---

[1]) Alia id genus exempla Lattmann pp. 38 et 105 attulit.

[2]) Cf. l. c. ed. I p. 3 sq., ed. II p. 5, 194—7.

[3]) Cf. l. c. p. 95 sqq. praeterea cf. ibid. p. 40 sq. et praefat. p. VI. eandem explicandi rationem sequitur Krause in libello, quem conscripsit, ‚De Quom coniunctionis usu ac forma', Berolini 1876, cap. II p. 21; paucis eadem tractat J. H. Schmalz in J. Muelleri, ‚Handbuch der klassischen Alterthums-Wissenschaft' t. II² p. 510 sq. contra

Digitized by Google

‚Quaestiones Catullianae, Gothae 1890'. qui p. 76—78 et p. 128—41, ubi de coniunctione *cum* congruentiae quam dicit vim habenti agit, eam vim, quae in eo sit posita, ut actionem indicet, quacum et re et tempore ita congruens sit altera actio, ut per illam simul haec efficiatur sive in ea constet ‚damit dass', nativam esse particulae *cum* contendit.[1]) aequalitatem autem temporalem eadem nativa coniunctionis vi ultro effici, non ipsam eius vim illa effici dicit; et eodem modo quo pronomine relativo de nomine aliquo, ad quod referatur, res adiciatur praedicata, itaque pars quaedam enuntiati cum toto altero enuntiato conferatur, coniunctionis *quom* ab illius pronominis stirpe derivatae nativam notionem eam esse, ut totum quoddam enuntiatum conferatur cum toto altero. hanc eius usus legem et rationem constantem sine dubio recte dicit (p. 140) neque quisquam de hac re quam Weber ut ‚nondum cognitam' profert, dubitavit, immo eandem explicandi rationem H. Lattmann per totum suum libellum secutus est. quod vero Weber aequalitatem temporum nativa vi coniunctionis *cum* ultro effici, non ipsam eius vim — dico explicativam — illa enasci putat, errare eum arbitror. constat enim inter viros doctos principio in ea particula localem infuisse notionem (cf. nostrum da wo), quae postea mutata est in notionem temporalem (cf. nostrum da wo = dann wann). quodsi actiones quaedam tales sunt, ut non solum tempore, sed etiam re inter se congruant, ita tamen, ut altera alterius vis ac momentum significetur, vis temporalis particulae *quom* sua sponte mutatur in explicativam, non quo eius generis sententiae, quae ab ea particula incipiunt, non iam sint enuntiata temporalia — immo manent eadem — sed quia interna quae tum inter membrum primarium et secundarium intercedit ratione efficitur, ut temporalis coniunctionis notio minoris fiat momenti. apparet enim membrum secundarium, quo actio ipsa praedicatur, et primarium, quo quae sit eiusdem actionis vis atque indoles exponitur, ultro in idem tempus non posse non cadere. iam si duo membra coincidentia particula *quom* inter se conectuntur, ea iunctura ratio temporalis, quae coniunctione etiam prorsus omissa per se ipsa elucet, clarius indicatur. neque tamen interna illa coincidentiae vel, ut Weberi utar nomine, congruentiae ratio significatur, quippe

---

A. Probst l. c. part. II: ‚Zur Lehre von den Partikeln und Koniunktionen', cap. II p. 120, qui in omnibus particulis pronominalibus principio eandem oratoriam infuisse vim adfirmativam contendit, ex ea orgine eas omnes a pronomine *interrogativo*, non a relativo deducendas dicit (cf. l. c. p. 141). sed quo pacto ex rhetorica illa notione explicativa coniunctionis Quom vis sit orta, Probst non exponit; quam ob rem non est, cur eius sententia fusius pertractetur.

[1]) Hac in re C. Stegmannum cum Webero consentire video (Ann. phil. 1890 p. 473).

Digitized by Google

quae nisi ex indole actionum ipsarum perspici nequeat. quisnam quaeso in Plauti loco Rud. 360 *Nimis lepide iecisti bolum : periurum perdidisti* coincidentiae rationem non agnoscat? nam sane Neptunus iudicio Trachalionis, qui ea verba loquitur, eo ipso, quod periurum lenonem perdidit, nimis lepide bolum iecit. iam si membra illa coordinata coniunctione *quom* inter se coniunguntur, nihil nisi temporalis actionum aequalitas eaque clarius indicatur; nos vero si illud *quom* nostro ‚dadurch dass' interpretamur, non ex mente Romanorum loqui mihi videmur, sed intrudimus vim explicativam, quae inest in solo enuntiato temporali, in ipsam coniunctionem temporalem. explicativa igitur vis particulae *quom* mihi quidem nequaquam nativa videtur, praesertim cum eam locativum esse constet pronominis relativi, sed ex sola ipsarum sententiarum indole dignosci eam arbitror. grammatica autem verborum finitorum condicione in eiusmodi enuntiatis temporalibus aurea etiam sermonis latini aetate, ut supra diximus, coincidentiae ratio indicatur. nam cum cetera genera enuntiatorum, quae incipiunt a particula *quom*, posterioribus temporibus actione secundaria cum primaria mente comparata illiusque tempore cogitatione huic subiecto modum coniunctivum aut postulent aut concedant, in solis enuntiatis coincidentibus verbi secundarii modum indicativum, quem actio per se spectata adsciscit, in oratione recta unoquoque loco servatum animadvertimus.[1])

Sed Lattmann praeter ducentos fere locos Ciceronianos, quibus in membro temporali indicativum positum invenimus, tredecim inter coincidentes recepit sententias, quibus verbum secundarium per coniunctivum, primarium per indicativum expressum legimus.[2]) quae res cum legi ab Hoffmanno l. c. statutae repugnare videatur, in locos illos accuratius inquiramus necesse est.

Ac primum quidem Cic. ad Att. II. 22, 2 de coincidentia sententiarum agere nobis non licere vir doctus quidam[3]) ostendit, neque est, cur quid addamus; nam ex verbis quae enuntiata: *Cum hoc Pompeius . . . vehementer egit, cum diceret* sequuntur: *haec et in eam sententiam cum multa dixisset,* satis elucet actionem vehementer agendi cum dicendo non in unum cadere. tum Planc. 5, 13 *Quam petitionem cum reliquisses, si hoc indicasti, tanta in tempestate te gubernare non posse, de*

[1]) Hac de re egit Hoffmann l. c. p. 126—29. cf. etiam p. 134 sqq. deinde quod attinet ad eos locos, quibus in membro secundario indicativus alius temporis legitur atque in primario (H. Lattm. l. c. p. 64), cf. ea quae Ihm disputavit l. supra p. 47 c.

[2]) Cf. H. Lattmanni l. c. p. 73 sq., p. 75—77. secluduntur, ut par est, ii loci, quibus et in primario et in secundario membro propter rationem condicionalem in recta oratione coniunctivus legitur; cf. H. Lattm. l. c. p. 79 b extr.

[3]) Anonymus (-z) in ‚Wochenschr. f. klass. Phil.' a. 1889, p. 324.

Digitized by Google

virtute tua dubitavi conexu syntactico impediri nos existimo, ne enuntiata coincidentia statuamus; temporali enim sententia *q. p. cum reliquisses* haud dubie actio continetur, quae praecessit actioni primariae *dubitavi* atque ob eam solam causam coniunctivum plusquamperfecti positum esse arbitror. nequaquam ergo tempus enuntiati temporalis refertur ad verbum membri condicionalis *si hoc indicasti*, sed pertinet ad verbum regens *dubitavi*.[1]) coincidentes autem sententiae statuendae essent, si oratio extaret sic conformata: *Quam p. cum reliquisses, si, cum reliquisti, hoc indicasti* e. q. s. neque aliter iudicandum censeo de fin. I. 8, 26 *Voluptatem cum summum bonum diceret, primum in eo ipso parum vidit.* temporali enim enuntiato id solum indicatur, quo tempore actioni primariae locus fuerit; haec vero cum actione secundaria coincidens sit necne, non praemisso membro temporali, sed verbis *in eo ipso* (quod dixit) declaratur. etsi igitur actiones dicendi et parum videndi per se spectatas coincidentes esse concedimus, tamen tota orationis structura prohibemur, ne inter enuntiata, quibus eae actiones continentur, coincidentiae rationem intercedere statuamus; neque enim, id quod Lattmann fecit, sententias e conexu syntactico solutas per se spectare nobis licet, sed integra orationis conformatione inquirendum est, num scriptor coincidentiae rationem presserit. ceterum in enuntiatis vere coincidentibus, quibus in primario verba ‚in eo' vel ‚in eo ipso' leguntur, secundarium semper particula *quod* instructum succedere videmus membro primario.[2]) neque Cluent. 11, 32: *Illa cum suo corpori vim attulisset, se ipsa cruciavit, hic autem* (Oppianicus) *idem illud effecit per alieni corporis mortem atque cruciatum* coincidentes sententias extare mihi persuadere potui. neque enim verba *cum . . . attulisset* et *per cruciatum* inter se respondent neque pari loco sunt ponenda — nam tum generale verbum *effecit* per *se ipsum cruciavit* interpretari nos oportet, id quod ferri nequit, quia Oppianicus minime se ipse cruciavit —, sed *efficere idem* spectat ad *partum abigere;* et tum demum actionem cruciandi se incipere potuisse, cum mulier illa medicinis adhibitis corpori suo vim attulisset, quis quaeso neget? primaria ergo sententia minime indicatur, cuius momenti vel qualis fuerit actio vim adferendi, sed quidnam cum mulier ipsa corpori suo vim attulisset, inde ortum sit. deinde quod attinet ad locum orationis de leg. agr. II. 21, 56 *L. Sulla cum bona indemnatorum civium funesta illa auctione sua venderet et se praedam suam diceret vendere, tamen ex hoc loco vendidit,* e toto

---

[1]) Mirum fere videtur neminem eorum, qui Lattmanni libelli censuram egerunt, in hoc loco offendisse.

[2]) Cf. in H. Lattmanni libro c. p. 41: de or. I 14, 62, Planc. 28, 68 et p. 50 sq.: Fam. VII 2, 1 (*eo quod*), de off. III 5, 26 (*in eo quod*).

Digitized by Google

sententiarum conexu rationem coincidentiae inter enuntiata temporalia et sententiam primariam intercedere non posse satis elucet; neque enim in eo positum est orationis pondus, ut actio *bona civium vendendi* quid sibi voluerit prematur membro primario — nam tum demum sententiae coincidentes essent dicendae —, sed duae vendendi rationes quodammodo proponuntur ab oratore, quas eodem tempore locum habere posse non putabant. nam cum Sulla civium indemnatorum bona vendere in animum induxisset, fore ut civium conspectum, quorum oculos offendebat, fugeret sperabant, neque tamen id fecit, sed *ex hoc loco, in frequentia civium* praedam illam quam dixit suam vendidit. vides locis quinque modo pertractatis aut ipsa actionum indole aut orationis conexu coincidentia enuntiata statuere nos prohiberi. sed etiam ceteris octo locis[1]) coincidentiae rationem valere negamus. ex ipsa enim modorum diversitate cognoscere possumus scriptorem actionem secundariam non eodem loco ponere voluisse atque primariam; immo coniunctivo in membro secundario adhibito scriptor hanc actionem quodammodo aptam ex primaria eaque definitam significasse videtur, ita ut ambo membra artissimo cohaereant vinculo grammatico neque ratione, qua scriptor ductus orationem conformavit, prorsus mutata alterum enuntiatum ab altero seiunctum spectari nequeat. contra rem se habere videmus in sententiis coincidentibus, quippe quarum in membris secundariis verba finita nulla actionum primariarum ratione habita libere atque absolute ponantur. quodsi octo illos locos singulares conferimus cum reliquis ducentis fere exemplis, quibus coincidentiae rationem indicativo in utrisque membris posito servatam animadvertimus, legem certam in eiusmodi enuntiatis conformandis valere vix quemquam fugere posse puto. quae cum ita sint, Lattmann l. c. p. 84 vix recte haec pronuntiavit: ‚Ad modos vero coincidentiam sententiarum apparet nihil pertinere.' sane si omnia enuntiatorum genera nullo discrimine pertractemus, hanc Lattmanni sententiam locum habere fortasse concedamus; sed ipsa enuntiata temporalia propter peculiarem indolem ac naturam separatim tractanda esse[2]) ex iis elucere arbitramur, quae de modorum in iis usu exposuimus.

Atque etiam tum, cum participia pro membris secundariis extant, coincidentiam locum habere posse H. Lattmann Lattmannum et Muellerum secutus docet.[3]) et profecto sententiae possunt esse coincidentes, verum id solum quaeritur, num ex ipsa orationis conformatione inter participium et verbum finitum eiusdem enuntiati coincidentiae rationem

[1]) De leg. I 20, 54, de nat. deor. I 12, 29, top. 2, 10, de am. 7, 24, pro Mil. 5, 12, in Vat. 1, 3, Verr. II 1, 11, 31, III 92, 215.

[2]) Cf. Hoffmanni l. c. p. 201.

[3]) Cf. H. Lattmanni l. c. p. 25 et p. 81—83.

Digitized by Google

statuere nobis liceat, id quod meo quidem iudicio praefracte negandum est. nam participium, sive coniunctum est quod dicunt grammatici sive ablativo absoluto vel causali ablativo gerundii continetur, semper necessaria quaedam eiusdem enuntiati pars est neque actionem per se spectandam exprimere potest, sed eam, quae nisi actione verbi regentis locum habere nequeat et ab hac sola lucem suam recipiat. ipsa igitur participii indoles notioni coincidentiae repugnat, quam tum demum valere contendimus, cum binae actiones, quarum verba eo tempore continentur, quod actiones per se spectatae flagitant, tali inter se cohaerent conexu grammatico, ut ex eo ipso a scriptore easdem dici vel idem valere eas intellegamus. quodsi Lattmann in enuntiato *Quos tu laudando animos mihi addidisti* (ad Att. VII. 2, 4) inter ablativum gerundii et verbum finitum coincidentiae rationem intercedere contendit, nos oratione sic conformata ‚Quorum laude animos mihi addidisti' coincidentiam eodem iure statuere licet; nam inter ablativum gerundii et verbum finitum hoc loco nulla alia intercedit ratio interna atque inter ablativum ‚laude' et verbum regens, rationem dico causalem.[1]) id solum ergo respiciendum esse videtur, utrum scriptor quidam sententiarum coincidentium formam paratacticam — quam quidem in eius generis enuntiatis etiam tum statui licet, cum particula quadam vel pronomine relativo inter se conectuntur — ubique aut plurimis locis servarit an fortasse saepius quam exspectemus coincidentiae ratione neglecta membri secundarii verbum aut modo et tempore mutato subiunxerit primario aut per participium expresserit. quare eos locos Plautinos et Terentianos, ubi membri secundarii verbum participio continetur, ex hac disputatione removere non dubitavimus.[2])

III.

Quaenam sit grammatica coincidentium enuntiatorum condicio, optime perspicitur, si a verbo aliquo dicendi vel sentiendi pendent; tum enim non sententiarum, quae particula quadam vel pronomine relativo vere subiunguntur, leges sequuntur, sed illas regulas, quibus enuntiata, quorum verba Lattmanni et Muelleri ipsorum iudicio libere atque absolute posita sunt, cohibentur.[3])

Iam primum quaeritur, utrum ad ipsos infinitivos an ad verba dicendi vel sentiendi secundaria verba tum referantur. nam etsi plerique

[1]) Cf. Ter. Heaut. 86 *Aut consolando aut consilio aut re iuuero.*

[2]) Men. 922 *occidis fabulans;* cf. Pseud. 931 *occidis me, quom istuc rogitas,* Most. 1014 sq., 1103, Trin. 680, Heaut. 138 sq., Hec. 254, [688], [690], Phorm. 68.

[3]) Cf. Lattm.-Muell. l. c. §§ 120, 122 β. C. b., 124.

Digitized by Google

viri docti docent infinitivis nulla temporis ratione habita actiones aut infectas aut perfectas aut instantes indicari,[1]) tamen in infinitivo perfecti nonnumquam propriam temporis vim inesse cum alii arbitrantur,[2]) tum quod attinet ad enuntiata coincidentia H. Lattmanno videtur, qui etiam praesentis et futuri infinitivos propriam temporis notionem in se habere posse exemplis e Ciceronis libris sumptis ostendere studuit. contra Stegmann[3]) et Wetzel[4]) hanc Lattmanni sententiam refutare conati sunt. qua de re sat intricata iam accuratius agamus.

Ac primum quidem de iis enuntiatis coincidentibus disputabimus, quorum in membris secundariis indicativus positus est.[5]) Lattmann Ciceronis loco Verr. act. I. 18, 55: *Nunc id quod facimus, ... necessario fieri intelleget* similibusque locis allatis infinitivum praesentis, cum pendeat e futuro, propriam praesentis vim habere contendit. uno loco futuri quoque infinitivum propriam temporis notionem habere statuit, pro Sall. 1, 2: *Hoc ego sentio, si mei facti rationem vobis .... probaro, causam quoque me P. Sullae probaturum.* saepissime vero vim absolutam tribuit infinitivo perfecti, cum adiungitur verbo temporis futuri vel praeteriti; velut: *Reperietis eos, qui sine repulsa consules facti sunt, diuturno labore atque aliqua occasione esse factos* (de leg. agr. II. 2, 3), *Qui pro re publica vitam ediderunt, ... numquam me hercule eos mortem potius quam immortalitatem assecutos putavi* (Planc. 37, 90). sed infinitivum, id quod ipse concedere cogitur,[6]) cum propriam temporis notionem in se habere volumus statuere, secundarii verbi finiti tempus respiciendum est. at si tempus non ex ipsa verbi forma perspicitur, sed aliunde explicatur, proprium eam habere tempus quis iudicet? quare Lattmanni sententia abiecta accuratius inquiramus, quae tandem iis locis infinitivorum vis sit.

Si enuntiatum ‚*Ii qui ... consules facti sunt, diuturno labore ... facti sunt*' pendere facias ex verbo quodam sentiendi, tales orationis formae evadere possunt: Reperimus (sive repperimus sive reperiemus) eos, qui ... facti sunt, ... factos esse. unde perspicuum fit infinitivum ‚factos esse' unoquoque loco eandem in se habere vim, ut significet actionem perfectam. utrum autem illud ‚factos esse' temporis praesentis sit an perfecti an futuri eo tempore quo quis loquitur, neque ex infini-

---

[1]) Cf. imprimis R. Kuehneri gramm. lat. t. II. § 122. 2 et Lattm.-Muell. l. c. § 109.

[2]) Cf. libros ab H. Lattmanno l. c. p. 87 sq. allatos.

[3]) ‚Philol. Rundsch.' a. 1888 p. 390 sq.

[4]) Ann. phil. t. 139, p. 835 sqq.

[5]) Cf. H. Lattmanni l. c. p. 93, c, 97, 3, 103, c, 104, d, 106, e et quae eodem spectant exempla p. 107, 112 allata.

[6]) Cf. l. c. p. 103 c: ‚quae res facile eo intellegitur, quod cum infinitivo congruit indicativus perfecti, non futuri exacti.'

Digitized by Google

tivi forma neque ex relatione elucet, quae inter verbum regens (reperimus vel repperimus vel reperiemus) et infinitivum intercedit,[1]) cognoscere licet: immo nisi ex tempore verbi secundarii, quippe cuius actio cum actione, quae continetur infinitivo, in unum cadat, perspici nequit. eiusdem igitur temporis esse infinitivum contendimus, in quo verbi secundarii actio versatur. quae si recte sunt exposita, pari modo iudicandum esse apparet de iis locis, ubi sententias coincidentes infinitivo perfecti et indicativo imperfecti contineri videmus. de quibus locis Lattmann mirum sane facit iudicium;[2]) talia enim enuntiata eodem loco esse ponenda atque ea, quibus in oratione recta indicativum perfecti cum verbi secundarii indicativo imperfecti coniunctum deprehendimus. Lattmann igitur in enuntiatis *Consolatio est vidisse me plus quam ceteros, cum cupiebam* (ad fam. VI. 4, 4) ad infinitivum *vidisse* verbum *cupiebam* eodem modo referri contendit, quo loco illo *Tantumne te fefellit, cum ... putabas?* (pro dom. 43, 113) verbum secundarium referatur ad primarium. iam in recta oratione Lattmannum verba sic conformare necesse est: ‚Plus vidi, cum cupiebam.' at idem subinde utriusque enuntiati verbum finitum tempore imperfecto exprimendum esse contendit; tum vero in infinitivo propriam quandam imperfecti vim inesse iudicare eum oportebat, si quidem sibi constare vellet. sed unde haec discrepantia? Lattmann l. c. p. 89 vim infinitivi perfecti cum praesentis verbo finito coniuncti sic explicat, ut perfecti praesentis esse eum contendat; qua explicatione mihi quidem infinitivo nimis angusta tribui videtur provincia; apparet enim infinitivo perfecti si — id quod constat — actio, quae fit eo tempore, quo quis loquitur, significatur perfecta atque ad finem perducta, eius forma minime indicari posse, utrum illa actio talis fuerit, ut in oratione recta per perfectum, sive est logicum sive historicum, an per imperfectum exprimi eam oporteat. quae cum ita sint, in enuntiato allato verborum formas sic explicandas esse censeo: in oratione recta quin Cicero *Videbam, cum cupiebam* dicturus fuerit, dubitari nequit[3]). quodsi hoc enuntiatum refertur ad verba *consolatio est*, primarii membri verbum finitum infinitivi formam sibi induere par est, quod vero actio videndi, quo tempore consolationem esse Cicero dicit, iam perfecta est, infinitivus perfecti adhibetur. quo posito non tam

---

[1]) Neque aliter de infinitivorum vi iudicandum esse censeo, cum membro secundario non adiecto ex verbo finito pendent; nam quamvis facile tum inducamur, ut in enuntiato 'Reperietis me recte agere (egisse)' infinitivum in tempus futurum (agam, egero) relegemus, tamen unoquoque loco primus respiciendus erit totus orationis conexus, et ex hoc solo cognoscere poterimus, utrum infinitivi ad tempus futurum an ad perfectum an ad praesens spectent. cf. ea, quae Stegmann et Wetzel ll. cc. de ea re disputaverunt.

[2]) l. c. p. 101.

[3]) Cf. Lattm. l. c. p. 101 c extr.; praeterea cf. Cic. in Pis. 24, 56.

Digitized by Google

actionis in praeterito infectae, quam praesenti tempore iam peractae ratio habetur. haec igitur actio ipso loquendi tempore ad finem perducta utrum pendens fuerit dicenda necne, non infinitivi forma significari potest, sed enuntiati temporalis *cum cupiebam* verbo finito absolute posito et hoc solo indicatur. itaque non dubitamus contra Lattmannum[1]) dicere in omnibus enuntiatis coincidentibus, quorum primarium per infinitivum expressum pendeat ex verbo aliquo sentiendi vel dicendi, verbi autem secundarii modus indicativus sit, tempus infinitivi non referendum esse ad verbum regens neque propriam in infinitivo inesse posse temporis notionem, sed tempus infinitivi semper spectare ad verbum membri secundarii.

Duo loci, Cat. III 7, 16, Verr. IIII 27, 62, quos Lattmann ‚De coinc.' p. 104 (3a) attulit, nostrae sententiae repugnare videntur; sed haec exempla in enuntiata coincidentia haud recte recepta esse iam ostendere studebimus. atque priore loco, qui est: *Neque vero cum aliquid mandarat, confectum putabat* verbi *mandarat* tempus referri ad participium *confectum* — hae enim actiones Lattmanni iudicio coincidentes sunt dicendae — vix cuiquam persuaderi posse arbitror; immo verbo *mandarat* actionem significari censeo, quae quotiens actioni primariae locus erat, iam ad finem erat perducta[2]), ita ut verba *mandarat* et *putabat* temporali quadam relatione inter se cohaereant; tum — id quod summi momenti est — inter rem conficere et mandare tantum interesse existimo, ut coincidentiam ne sententiarum quidem liceat statuere. neque altero loco: *Verres hereditatem sibi venisse arbitratus est, quod in eius regnum ac manus venerat is* e. q. s. cum Lattmanno facere possum; nam plusquamperfectum *venerat* nequaquam propter infinitivum plusquamperfecti *venisse* positum est neque coincidentes extant sententiae. causali enim enuntiato *quod . . . venerat is* non obliquae orationis membrum continetur, sed actio, quae praecedit actioni primariae[3]).

[1]) ‚De coincid.' p. 90: ‚quaecunque tempora in recta oratione ad primariam sententiam referantur, eadem, cum orationem obliquam feceris, eadem ratione ad eum infinitivum referri, quo primaria sententia exprimatur, ipsum autem infinitivum in eo versari tempore solere, quo finitum verbum dicendi vel sentiendi. posse tamen etiam proprium et absolutum tempus infinitivo indicari' e. q. s.; praeterea cf. ‚Selbst. u. bezog. Gebr. d. Temp.' p. 122.

[2]) Cf. eiusdem generis exempla ab Hoffmanno collecta l. c. p. 111—114.

[3]) Qua in re prorsus consentio cum Wetzelio (cf. l. c. p. 836 init.), quem tamen utroque loco de coincidentibus enuntiatis non dubitare miror. ubi autem in eiusmodi enuntiatis verbum secundarium indicativo futuri exacti praedicatur (cf. Lattm. l. c. p. 102 sq.), primarium infinitivo perfecti ex verbo futuri notionis apto exprimitur, futurum exactum absolute positum duco, ita ut, rectam si feceris orationem, pro infinitivo perfecti futurum exactum ponendum sit. quod quo iure fieri possit, cognoscimus ex plus centum locis, quibus in coincidentibus enuntiatis bina futura exacta leguntur; cf. H. Lattmannum l. c. p. 66 sq.

Digitized by Google

neque ideo membro causali explicationem praeberi actionis infinitivi statuere nos oportet, sed enuntiato *quod . . . venerat is* causa arbitrandi continetur. longe aliam futuram esse sententiarum rationem apparet, si coniunctivus plusquamperfecti *quod . . . venisset* traditus esset; nam tum vere coincidentes statuendae essent sententiae.

Sed Lattmanni explicationes non mirae videbuntur, si memineri-mus eum iudicare enuntiatorum coincidentium verba relativa esse; nam si quis membri secundarii verbum referri putat ad primarium, eandem relationem tenere eum oportere apparet, cum verbum primarium infinitivo exprimitur. deinde infinitivi tempus tempore verbi regentis semper indicari si quis arbitratur, idem iis locis, qui huic normae satisfacere non videntur, in infinitivo propriam inesse temporis notionem non potest non statuere. sed ipsum fundamentum, quo Lattmann et Mueller coincidentes exstruxerunt sententias, temporum dico relationem, non recte se habet, ut supra ostendere conati sumus. iam apparet totam quam H. Lattmann de infinitivorum propria temporis vi protulit doctrinam improbabilem esse; nam tempus verbi secundarii, si absolute positum est — id quod nos tenemus — atque actione per se spectata poscitur, primarium autem verbum, quod in oratione recta non minus absolutum est, absoluta hac temporis vi exuta infinitivo expressum pendet ex verbo quodam dicendi vel sentiendi, iam elucet conexum grammaticum, etsi ratio logica soluto conexu inter duo haec membra eadem manet, multo laxiorem esse. primarii enim membri actione infinitivo praedicata non iam id agitur, num ea tempore congruat cum actione secundaria, sed propter id solum infinitivus perfecti aut futuri aut praesentis ponitur, quod actio illa infinitivo expressa tempori actionis, quae verbo regenti continetur, aut praecedere aut succedere aut eodem tempore fieri dicitur ex mente loquentis[1]); secundarium autem membrum, cuius verbum finitum modo indicativo praedicatur, nullo loco ad obliquam spectare orationem contendimus, quia verbum tali semper temporis modique forma continetur, quam actio ex sua ipsius indole postulat ipso loquendi tempore, non ex mente eius, cuius verba a scriptore referuntur,

---

[1]) Eodem modo explicandas esse puto sententias, quae passivo verbo dicendi vel sentiendi adnectuntur; ne his quidem locis in infinitivis propriam inesse posse temporis vim contendo, neque explicationes, quas Lattmann l. c. p. 108 de loco ex Cic. de nat. deor. I 33, 92 sumpto et p. 110 de enuntiatis, quae legimus ad Quint. fr. I 2, 1, protulit, ullam in se habere verisimilitudinis speciem persuadere mihi potui. velut altero loco, qui est: *Quod autem exspectationem tui concursumque eum . . . sustulit, id mihi non incommode visum est accidisse,* actio accidendi actioni, quae continetur verbis *id . . . visum est* cum praecedat, infinitivo perfecti expressa adicitur verbo regenti. cuius vero temporis actio accidendi per se ipsa spectata sit ipso tempore loquendi, indicatur solo verbo membri secundarii *sustulit* absolute posito.

Digitized by Google

sed ex mente scriptoris ipsius narrantis dictum[1]). erravisse igitur videntur Lattmann et Wetzel eo, quod eas sententias de quibus modo disputavimus eodem loco posuerunt atque illa enuntiata, quorum verba secundaria modo coniunctivo praedicantur, neque ullo discrimine inter haec duo genera facto secundaria verba ille[2]) ad infinitivos, hic[3]) ad verba regentia referri statuerunt.

Omnis enim sententiarum ratio ac totus orationis conexus mutatur, si primarium enuntiatorum coincidentium membrum ex verbo dicendi vel sentiendi aptum infinitivo exprimitur, secundarium autem verbum modo coniunctivo praedicatur; nam tum neutra forma verborum, quibus actiones coincidentes continentur, ea est, quae actionibus per se spectatis poscatur, sed utraque refertur ad verbum regens. tum igitur veram temporum relationem nobis statuere licet. infinitivo enim, quod supra diximus, nihil nisi actio infecta aut perfecta aut instans cuiusvis temporis significatur; idemque etiam secundarii membri verbo, si coniunctivo exprimitur, indicari contendimus. quod igitur tempus actiones coincidentes ex sua ipsarum indole postulent ipso loquendi tempore, numquam e verbo secundario, sed aut e verbo regenti aut toto orationis conexu intellegi licet.

Ac primum quidem[4]) spectemus eos locos, quibus verbo regenti temporis futuri subiungitur infinitivus praesentis. veluti si Tusc. III 17, 36 legimus *Dicet dupliciter te esse iniustum, cum alienum appetas... et graviter feras*, ipsis infinitivis et coniunctivis ex verbo *dicet* aptis

---

[1]) Ad hanc sententiam a Lattmanniana tantum abhorrentem infringendam nihil valere manifestum est, quod scriptor ipse utrasque una nonnumquam agit partes. veluti si contuleris Cic. or. 3, 12 *Ego et me saepe nova videri dicere intellego, cum per vetera dicam* cum loco, qui legitur ad Fam. XIII 17, 2 *Puto me hoc, quod facio, facere serius*, videbis priore loco verbum secundarium ex mente Ciceronis intellegentis — ut ita dicam — positum esse, altero ex mente Ciceronis epistulam scribentis, non aliter ac verbum regens *puto*. quam sententiarum rationem multo clarius apparere elucet, si verba secundaria versantur in tempore praeterito; velut cf. ad Fam. III 9, 4 *Id a me recte factum puto, quod ... commiserim* cum eo loco, qui extat ad Fam. IIII 14, 2 *Recordor ... me ... vidisse, cum ... pertimescebam.*

[2]) Cf. supra p. 62 adn. 1 et Lattm. l. c. p. 92 b, 103.

[3]) Hanc sententiam, quam Wetzel ‚Beiträge' p. 2—11 ad ea sola valere enuntiata dicit, in quibus verbum secundarium modo coniunctivo exprimitur, ann. phil. a. 1889. p. 835 sq. ad ea quoque spectare, quorum in membro secundario indicativus positus est, ab eodem edocemur. cf. imprimis p. 836. deinde ibidem locis, quos supra p. 62 pertractavimus, quibus quin coincidentes extent sententiae non dubitat, verba secundaria ad verba regentia referri dicit; praeterea respicias, quid idem iudicaverit de Cic. pro Mil. 30, 82 (l. c. p. 835).

[4]) Eos locos, quibus ad infinitivum praesentis verbo eiusdem temporis subiunctum coniunctivus praesentis verbi secundarii adicitur, cum hac relatione ea, quae evincere studemus, minus eluceant, consulto negleximus.

Digitized by Google

minime indicatur actiones illas, si rectam orationem effinxeris, in futurum tempus cadere, id quod exemplis a Lattmanno p. 93 sq. allatis intellegi licet, quibus et infinitivum et verbum secundarium praesentis vim in se habere ipse concedit. unde vero nisi ex toto sententiarum conexu id cognoscitur? deinde cf. pro Sest. 17, 39 *Illa furia clamabat se quae faceret contra salutem meam, facere auctore Cn. Pompeio* cum eo loco, qui est Verr. V 68, 176 *Ea, quae faciebat tua se fiducia facere dicebat.* priore loco si rectam efficias orationem, verba sic conformanda sunt: ‚furia clamabat: Quae facio . . ., facio . . ., altero, Ea, quae faciebat, . . . faciebat[1]) [ut dicebat]', ita ut illo loco verbum secundarium ex mente furiae clamantis, hoc ex tempore Ciceronis oratoris positum esse concedamus oporteat. priore autem loco verbum secundarium non minus, quam infinitivus tempori verbi regentis subiungitur. neque ex ipsis infinitivi et verbi secundarii formis quicquam cognoscimus, cuius temporis eae actiones sint ipso tempore loquendi. tum si enuntiata ‚satis faciemus, si fatebimur' apta facias ex verbo aliquo temporis praesentis, apparet membrum primarium in infinitivum futuri, qui instantem cuiusvis temporis actionem indicat, mutandum, secundarii autem membri verbum coniunctivo temporis infecti (h. l. praesentis) exprimendum esse[2]): Existumant se satis facturos, si fateantur (Tusc. III 29, 72). hoc similibusque locis omnibus[3]) etsi coniunctivum verbi secundarii actionem instantem indicare ex infinitivo cognosci concedimus, tamen id premendum putamus, enuntiatum secundarium nequaquam pendere ex infinitivo ideoque suam inde lucem recipere; immo quia forma coniunctivi per se spectata omnino non indicatur, utrum actio quaedam infecta an instans sit, vel ex hac causa sola infinitivus respiciendus est. neque aliter iudicamus de locis, quos Lattmann p. 99 sq. (IIII 1, a) protulit. velut in sententia: *Magnum te fecisse arbitrare, si plura vendideris quam L. Hortensius* (Verr. III 16, 42) coniunctivus perfecti non, quia pendet ex infinitivo perfecti *fecisse*, positus est[4]), sed et infinitivus et coniunctivus aeque pendent ex verbo regenti, quam ob rem non adhibetur imperfecti coniunctivus; nam si enuntiata coincidentia, quorum verba in oratione recta indicativo perfecti exprimenda sunt, ex verbo temporis praesentis pendent, non aliter, quae inter verbum regens et membra coincidentia temporalis intercedat relatio, significari potest, nisi si utraque sententia ex sua indole eam formam sibi induit, qua actionem et infinitivi et membri secundarii iam perfectam esse,

---

[1]) Cf. supra p. 60 sqq.

[2]) Coniunctivum ex sua ipsius indole ad futurum spectare notum est.

[3]) Cf Lattmanni l. c. p. 96.

[4]) Cf. etiam Kuehneri gramm. t. II, § 181, 5.

Digitized by Google

antequam actio verbi regentis fieri coeperit, intellegamus. id vero nisi infinitivo perfecti et coniunctivo huius temporis indicari nequit. iam elucere arbitramur eandem, quam adhuc secuti sumus, explicandi rationem in locum illum satis conclamatum[1]) cadere: ‚Bene fecisti, quod mansisti', si verba apta feceris ex verbo temporis praeteriti: ‚Dixi bene eum fecisse, quod mansisset'. huiusce generis locis omnibus[2]) enuntiatis coincidentibus actiones continentur, quae actioni dicendi vel sentiendi tempore loquendi iam perfectae praecesserunt. ex sua igitur indole utrumque membrum, et secundarium et primarium, aptum fit ex verbo regenti et ex sua item indole verbum primarium nisi per infinitivum perfecti, secundarium nisi per coniunctivum plusquamperfecti exprimi non potest.

Tum Lattmannum in eos locos, ubi ex tempore futuro verbi regentis infinitivus perfecti pendet adiuncto verbi secundarii coniunctivo perfecti, exempla diversi generis recepisse arbitramur. adfert enim p. 102 viginti tres locos, quibus infinitivo perfecti perfecta futuri temporis actio indicetur, ideoque cum eo futurum exactum congruere contendit ‚aut indicativi aut coniunctivi modi'. quibus locis si orationem rectam efficimus, Lattmannum secuti et verbum secundarium et infinitivum perfecti indicativo futuri exacti exprimere debemus. at quemnam hac explicandi ratione uti posse censes de inv. II 35, 106 *oportebit igitur . . . deinde ostendere non odio neque crudelitate fecisse, quod fecerit?* nam in recta oratione sententiae haud dubie sic conformandae sunt: Oportebit ostendere: Non . . . feci, quod feci; neque enim quisquam non odio quicquam se fecisse potest ostendere, priusquam id non fecerit. idem valet de locis: de inv. II 33, 101, pro Rosc. Am. 48, 140, quos Lattmannum inter exempla p. 104 a allata recipere oportuit. cuius generis locos si comparaveris cum eo, qui est ad fam. XIII 53, 2 *Quidquid officii, beneficii, honoris in Genulicium contuleris, id te existimabo in me ipsum atque in rem meam contulisse,* ubi quin in oratione recta futura exacta ‚Quidquid . . . contuleris, . . . contuleris' adhibenda sint, dubitari nequit, iam elucebit in talibus quoque enuntiatis neque infinitivo neque verbo secundario indicari, cuiusnam temporis sint actiones coincidentes, sed ex solo sententiarum conexu id perspici posse.

Iam ostendisse nobis videmur in oratione obliqua verba et primarii et secundarii membri enuntiatorum coincidentium pari modo subiungi tempori verbi regentis ideoque et infinitivum, quo membrum primarium continetur, et verbum secundarium, quod modo coniunctivo praedicatur, referri ad verbum regens et idcirco ambo vere relativa

[1]) Cf. Wetzelii ‚Beiträge' p. 9 et ‚ann. phil.' a. 1889 p. 833 sqq.; deinde H. Lattmanni l. c. p. 87 sqq.

[2]) Cf. Lattmanni l. c. p. 105 sq.

Digitized by Google

dici licere. item cuiusnam temporis eae actiones sint tempore loquendi, nonnumquam tempore verbi regentis nos edoceri, plurimis autem locis id nisi ex toto sententiarum conexu intellegi non posse demonstravimus. quibus in rebus enarrandis etsi iusto longiores fuisse videamur, tamen quae sit natura enuntiatorum coincidentium, paulo clarius nos exposuisse arbitramur, meliusque eam rem ex hac disputatione quam ex Lattmanni et Wetzelii verbis hic illic minus dilucidis dignosci posse.

In universum igitur cum de coincidentiae vi sat egerimus, ut quam rationem et viam infra secuturi simus, facilius perspiciatur, iam id aggrediamur, ut de coincidentiae usu Plautino et Terentiano accuratius disputemus.

Pars altera.

Propria fabulae vis in eo est posita, ut quae quondam facta sunt vel quae facta esse vel fieri potuisse opinamur, ante oculos spectantium denuo proponantur. quo accuratius autem poeta fictas illas res ad exemplum earum, quae re vera fieri solent, conformare studet, quo magis id agit, ut personae, quas agentes inducit, hominibus ipsis eorumque indoli sint simillimae, eo diligentius sermonem illarum ei loquendi generi accommodare debet, quo homines, quorum imaginem fabula exprimere studet, uti veri simile est. atque in comoedia, quippe quae tota fere in communi hominum indoctorum vita versetur, eorundem mores usumque dicendi proponi par est; id autem praecipue convenire in Plauti Terentique fabulas quis nescit? uterque enim poeta qua cum fide vivi sermonis cottidiani et familiaris imaginem expresserit, obiter etiam legentem fugere nequit.

In hac autem comoediae indole causa consistit, cur pro rata parte plures quam fortasse exspectemus, sententias coincidentes in fabulis Plautinis et Terentianis legamus. saepe enim inducuntur personae, quarum, id quod nobis quoque in alternis sermonibus familiaribus observare licet, altera rem quandam enarrat, altera quid iudicet et sentiat de eadem re proponit. qua in re ipsa vim coincidentiae positam esse supra exposuimus. nec desunt philosophantes actores, qui singulas sententias diligentissime inter se perpendunt et non solum res adferunt, sed etiam earum vim atque condicionem explicant. tum haud raro lusu verborum utuntur personae comoediae, ita ut eiusdem rei, quam modo per imaginem pronuntiarint, veram vim subiciant.

Ad hanc rem, quae ex universa fabulae natura derivata est, altera accedit ex propria Plauti Terentique comoediarum condicione ducenda. in utriusque enim poetae fabulis, quippe quae simillimo inter se sint

Digitized by Google

argumento, creberrime recurrunt eaedem sententiae. neque tamen in talium repetitorum locorum conformatione poetae semper sibi constant, sed etiam elocutiones, quae idem valent ita, ut altero loco non alium supponi liceat sensum atque altero, non solum temporum, sed etiam modorum miram nonnumquam prae se ferunt varietatem. nostrum igitur erit non modo omnes, quas invenire potuimus sententias coincidentes in suum quamque ordinem redactas enumerare, sed etiam inquirere, quatenus logica illa atque interna ratio ipsa orationis structura sit expressa, et in quibus enuntiatorum generibus iam Plauti aetate coincidentia, quam ad orationem conformandam etiam Ciceronis temporibus aliquantum valere vidimus, neglecta sit et pro forma paratactica subiungendi rationem poetae adhibuerint.

I.

Ac primum quidem rem saepe sic comparatam esse animadvertimus, ut non ab eadem persona duo enuntiata coincidentia pronuntientur, sed ut alter actor, quae est natura diverbii, sententiam, qua res ipsa narratur, proponat, ab altero eadem res quid sibi velit explicetur; cf. Plauti Poen. 916, ubi ad Syncerasti verba *Taceo atque abeo* Milphio respondet *Mihi commoditatem creas.* i. e.: quom taces atque abis, mihi commoditatem creas, vel Ter. Phorm. 475, quo loco Geta dicit: *Phaedria haud cessavit pro te eniti.* addit Ant.: *Nil fecit noui.* tales igitur locos aeque atque eos, quibus ab una eademque persona coordinatae pronuntiantur sententiae, si res in unum cadant, coincidentibus enuntiatis adnumerare non dubitavimus.

Plurimis autem locis, qui iis simillimi videantur, rem longe aliter se habere invenimus, id quod cottidiano usu colloquendi explicatur. velut Cas. 499 sq., ubi ad verba Olympionis *In re praesenti ex copia piscaria Consulere, quid emam, meliust* Lysidamas respondet: *Aequom oras*, vel Bacch. 313, ubi Nicobulus senex Chrysalo dicenti *Quin in eapse deae Dianae conditumst* (aurum, quod ab hospite accepimus) *Ibidem puplicitus seruant* respondet: *occidistis me*, vel Men. 197, ubi Peniculus parasitus a Menaechmo petit, ut palla uxori surrepta indutus saltet; respondet Menaechmus (v. 198): *Ego saltabo? sanus hercle non es.* praeterea cf. Amph. 705 sqq., 808 sq., Capt. 1028, Men. 621 sqq. his locis non priorem sententiam ab altero actore pronuntiatam ad posteriorem addendam, sed aliam quandam supplendam esse apparet; atque Cas. 499 si plenam facere velimus orationem, verba sic conformari necesse est: quom haec oras (= dicis), aequom oras, Bacch. l. c.: occidistis me, quom haec fecistis, Men. l. c.: sanus hercle non es, qui id

Digitized by Google

postules[1]). secundarium igitur membrum, quod ad plenam orationem efficiendam mente suppleamus oportet, semper continetur generali verbo dicendi aut faciendi et ad ea spectat, quae ab altera persona ante dicta sunt. huiusce vero generis exempla, quorum ingens fere est multitudo, quia non ipsa orationis conformatione rerum coincidentia indicatur, ex disputatione nostra removimus.

Tum permultis locis ellipses verborum inveniuntur[2]); cf. Mil. 58: *Amant ted omnes mulieres, neque iniuria* (amant)[3]); cf. Andr. 60, 378, Eun. 433; Poen. 756: *Valent ut postulatumst : uerum non tibi* (ualent), Amph. 835: *Vera dico sed nequiquam* (dico), *quoniam non uis credere*, Adelph. 117: *Obsonat, potat, olet unguenta : de meo*, quo loco Spengel protasin paratacticam interrogationis signo instruxit. quod utrum recte fecerit necne, cum verborum structura nihil edoceamur, totum sententiarum conexum respicere debemus. hunc autem, ne Spengelium sequamur, obstare arbitror. nam etsi interrogationes nonnumquam sine dubio enuntiati condicionalis munus suscipiunt, non quo ipsae pari dignitate sint atque enuntiata condicionalia, sed quod ex iis ad plenam sententiam efficiendam enuntiatum condicionale facillime mente intellegi potest[4]), tamen hoc de quo agimus loco, res longe aliter comparata esse videtur. tum enim interrogationi locum futurum esse arbitror, si Micio ea, quae Demea frater Aeschinum filium obiurgans dixerat, antea prorsus ignoravisset, ut interrogatione adhibita mirationem, quae Demeae

---

[1]) Cf. eiusdem generis exempla infra p. 85 sq. allata.

[2]) Cf. Fr. Guil. Holzii ‚Syntaxis priscorum latinorum usque ad Terentium', Lips. 1862 Vol. II, doctr. verb. 6, p. 21 et Fr. Umpfenbachii ‚Analecta Terentiana' (programm. gymnasii Moguntini 1874) p. 18 ‚...si a Cicerone recedimus...vix ullus reperiatur scriptor latinus, qui imaginem vivi sermonis cottidiani ipsa illa omissione verbi finiti saepius expresserit quam Terentius.'

[3]) Cf. Cic. pro Sest. 40, 86: *Laudas Milonem et iure laudas*, H. Lattm. l. c. p. 59 sq.

[4]) Conferas velim Eun. 245... *quid? tu his rebus credis fieri? tota erras uia.* hoc loco quin verbis *tu... fieri* interrogatio contineatur, praecedente pronomine *quid* interrogativo non est dubium; neque tamen etsi locum sic interpretari debemus: ‚si... credis, erras', ipsa interrogatione condicionale illud membrum continetur; immo deduci tantum potest ex ea, ita ut totum locum hoc modo explicare nos oporteat: interrogatione *tu his rebus credis fieri?* posita Gnatho, qui haec loquitur, responsum non exspectat, sed quae modo per interrogationem dubitanter expressit, mente vera fingens simulque in condicionalem informans speciem (si... credis), quid ipse de hac re iudicet, adicit: *tota erras via.* cum igitur enuntiatum quoddam interrogationis signo instruimus, verae interrogationis vim in eo inesse concedamus oportet neque membrum interrogativum eodem loco, quo condicionalem sententiam cum Spengelio collocare debemus. cf. eius adn. ad Adelph. 117 et 881. sobrium sane de hac re iudicium fecit Weißenhorn l. supra p. 53. c., p. 19; eandem rem tractavit A. Weninger ‚De parataxis in Terenti fabulis vestigiis' Erlang. 1888, p. 91 sqq.; ceterum cf. Kuehneri gramm. lat. II. p. 760, § 178 adn. 4, Draegeri hist. synt. ling. lat. I. § 156 c, II. § 373. 3.

Digitized by Google

verbis effecta esset, exprimeret, sequentibus verbis deinde eam mirationem quodammodo refelleret: Was du nicht sagst? Er schmaust? Er zecht? Er riecht nach Salben? Nun gut, aber nur von meinem Geld... at Micioni, quae Aeschinus agere solebat, tam nota sunt, ut minime miretur adulescentis mores; cf. vv. 101 sqq. accedit quod interrogationis signo sublato alacer ille sermonis vigor multo clarius apparet. quae cum ita sint, in versu 117 et quattuor sequentibus adfirmativam orationis formam retinendam esse censeo. praeterea cf. Most. 1014 sq.: ... *at quidem tu* (somnias), *qui speras*, Rud. 775 sq.: *Maxumo malo suo* (fecerit), *Si attigerit siue occeptassit*, Truc. 957, Andr. 641. membra coincidentia in unum ambitum coacta invenias Capt. 305: *Me qui liber fueram, seruom fecit, e summo infumum*, i. e. fortuna humana, quom me, qui l. f., seruom fecit, fecit e summo infumum. neque desunt loci, quibus alteram sententiam totam mente suppleri necesse est, velut Capt. 344: *At nihil est ignotum ad illum mittere : operam luseris* (si ignotum miseris).

Deinde in fabulis Plautinis et Terentianis, praecipue in motoriis quas dicimus comoediis primariam enuntiationum coincidentium haud raro accusativo exclamationis qui vocatur vel vocativo contineri animadvertimus, secundariam aut nulla particula instructam aut per pronomen relativum vel coniunctionem quandam ad illum accusativum vel vocativum adiunctam aut infinitivo expressam legimus. accusativus exclamationis legitur: Asin. 292: *Heu edepol hominem infelicem, qui patronam conprimat* i. e. h. infelix est, qui e. q. s., Amph. 1056; eodem spectare videtur Amph. fragm. VII. p. 116. ed. Schoell.: *Laruatu's : edepol hominem miserum*; i. e. homo miser es, qui l. es., Bacch 455, Pseud. 519: *Edepol mortalem graphicum, si seruat fidem*, Eun. 365, Hec. 205, Men. 640: *O hominem malum : Ut dissimulat*, Poen. 653 sq. eodem modo quo duobus his locis enuntiatum particula ‚ut' ornatum exclamationem indicat, aliis infinitivus id munus suscipit, velut Men. 1004 sqq.: *O facinus indignum et malum ... erum meum hic in pacato oppido Luci deripier in uia*, Rud. 393 sq., Phorm. 613 sq., ibid. 232 sq. neque aliter iudicandum censeo de frequentissimis illis elocutionibus ‚bene factum, facete dictum', sim., quibus iudicium quoddam exprimitur de iis, quae ab altera diverbii persona dicta sunt; his enim locis non tam sententiae adfirmativae quam exclamationes continentur, quam ob rem verbum ‚est', quod Spengel (cf. adn. ad Andr. 105) et Lorenz (cf. adn. ad Most. 207) deesse contendunt, nequaquam desideratur[1]); cf. Stich. 375 Pi.: *Argentique aurique adduxit nimium.* Ge.: *Nimis factum bene* (cf. ib. v. 379). neque tamen desunt loci, quibus codices copulam ‚est' recte

[1]) Cf. quae Brix ad Men.[3] 338 de eiusmodi sententiis disputavit.

Digitized by Google

exhibeant: Asin. 451 *Non mirum factumst*, Merc. 482 *Hau mirum factumst*. Mil. 1091 *Lepide factumst*, Rud. 1365 *Bene hercle factumst*[1]). vocativum habes Mil. 825: *Eho tu, sceleste, qui illi suppromu's*, Amph. 561 sq., Phorm. 504 Ph.: *O fortunatissume Antipho*. Ant.: Egone? Ph.: *Quoi quod amas domist* e. q. s.; i. e. fortunatissumus es, quoi . . . quos locos omnes, ut quibus non ipsa sententiarum conformatione actiones coincidentes indicentur, sed mente tantummodo verbis vel totis enuntiatis suppletis aut mutata oratione intellegendae sint, accuratius pertractare omisimus.

II.

Iam aggrediamur ea exempla perlustrare, in quibus coincidentiae ratio ipsa verborum structura significatur. atque hanc in locis enumerandis rationem et viam sequemur, ut non solum, quae tempora et modi usurpentur, sed etiam quo ordine membra posita sint, semper respiciamus; nam ordine mutato mutatur vis sententiarum. velut cf. Most. 638 sq.: *Philolaches Patrissat : iam homo in mercatura uortitur*, quo loco enuntiato postposito, quid illud patrissare sibi velit vel qua in re consistat, explicatur. si autem ordine sententiarum mutato dicimus ‚homo . . . vortitur, patrissat' non iam actio patrissandi exponitur actione ‚vortendi in mercatura', sed quod sit ‚vortendi' momentum membro postposito explicatur. quamquam igitur res, si actiones soluto conexu grammatico inter se perpendas, semper sic comparata est, ut alterum membrum subiecti vim quodammodo habeat, altero tamquam praedicatum indicetur — h. l. vorti in mercatura est patrissare — tamen, quae ratio inter binas eius generis sententias intercedat, ordine, quo illae collocantur, certius definitur. postposito enim enuntiato, quod praedicati vice fungi diximus, iudicatur quid alterius membri actio valeat[2]), postposito altero, in quo subiecti notionem inesse dicere liceat, explicatio quaedam continetur enuntiati praecedentis[3]). atque hunc ordinem in quibusdam elocutionibus certum esse inveniemus; neque enim aliter res se habet, si bina enuntiata coincidentia pronomine relativo vel particula aliqua inter se conectuntur. tum autem membrum, de cuius actione altero enuntiato postposito iudicium fit aut quo alterius sententiae praemissae explicatio continetur, semper membrum est secundarium.

Ac primum quidem de iis enuntiatis coincidentibus disputemus, quae ambo inter se coordinantur. priore autem loco ea ponantur

[1]) Hoc loco ‚hercle factum est' exhibent libri; iniuria igitur Lorenz l. c. in hac sententia verbum ‚est' semper deesse dicit.

[2]) Quom uortitur in mercatura, patrissat.

[3]) Patrissat, quom vertitur in mercatura.

Digitized by Google

exempla ex diverbiis deprompta, in quibus altera persona de altera secum colloquente iudicium facit. qua in re haec structurarum genera observanda sunt:

I. utriusque membri verbum est temporis praesentis indicativi: Rud. 1368 Lab.: . . . *condono te.* Daem.: *Benigne edepol facis,* i. e. benigne . . . facis, quom condonas, Capt. 842 sq. Heg.: *Gaudeo, etsi nil scio quod gaudeam.* Erg.: *Bene facis*[1]), Amph. 937, Asin. 58 sq., Cas. 395 sq., Curc. 674 sq., Epid. 723 Epid.: *Nolo.* Periph.: *Non aequom facis,* Heaut. 91, Trin. 197, Bacch. 1044, Aul. 145 sq., Amph. 534 sqq., Poen. 608 Ag.: *Abeo.* Advoc.: *Sapis* (si abis)[2]), Pseud. 662, Mil. 1161 Pal.: *Militem lepide . . . ludificarier Volo* (a te, cf. v. 1159 tibi hanc impero prouinciam). Acr.: *Voluptatem mecastor mi inperas,* Stich. 422 sq., Epid. 4 sq., Asin. 52 sqq., (cf. Epid. 414 sqq.), ibid. 83 sq., Most. 979 Pha.: *Neque istud aio.* Theopr.: *Ei perdis (me)*[3]), Poen. 916, Asin. 332 (de obiecto h. l. omisso cf. Ussingii comm. vol. I. p. 383)[4]), Most. 1176 Theopr.: *Nolo inquam ores.* Call.: *Nequiquam neuis,* Pers. 358, Trin. 973, Poen. 1225 sq. Ha.: *in ius . . . uoco.* Ag.: *Nunc, patrue, tu frugi bonae's* (qui . . . uocas). Rud. 240 Amp.: . . . *uidere expeto te.* Pa.: *Mihi's aemula* (quae . . . expetis), Most. 946 sq. addere liceat Pseud. 974 sq. Sim.: *Hominem hic quaero malum, Legirupam* e. q. s. Bal.: *Me quaeritat.*

II. verbum in utroque membro exprimitur indicativo perfecti: Merc. 658 Eutych.: *Dixi.* Char.: *Frustra dixti* (quae dixti), Curc. 327 sq., Eun. 1091; his adice Mil. 284 sq. Sceledr.: *Simiam hodie sum sectatus nostram in horum tegulis.* Pal.: *Edepol, Sceledre, homo sectatust nihili nequam bestiam,*[5]) Eun. 831.

III. futurum exactum in utroque enuntiato uno loco inveni, Men. 661. Men.: *Ego faxo referetur.* Matr.: *Ex re tua, ut opinor, feceris.*

His locis omnibus res sic comparata est, ut altera persona, quid faciat vel fecerit vel factura sit, proponat, altera deinde, quid de eadem

---

[1]) Donatus — ad Ter. Eun. I. 2. 106, — verba ‚bene facis' et ‚bene fecisti' non iudicantis, sed gratias agentis esse docet. sed locis a nobis allatis genuina vis illorum verborum iam dignosci licet. neque tamen dicere omittamus verba ‚bene facis' vel ‚amice facis' sim. etiam tum, cum iudicium iis contineri videatur, propria vi exuta nonnumquam merae formulae vice fungi, ut etiam praecedente futuro vel perfecto praemisso locum habeant. cf. Pers. 147 Sat.: *faciam equidem quae vis.* Tox.: *Bene facis,* Rud. 1408 sq., 1410 sq., Cist. I. 1. 108 sq., Adelph. 604. addere liceat Merc. 882, Mil. 1158 sq. Acrot.: *Id [nunc] nos ad te, siquid uelles, uenimus.* Pal.: *Lepide facitis*; quocum loco cf. Eun. 1089 sq. ceterum cf. Brixii adn. ad Trin. 384, Lorenzii ad Most. 816.

[2]) Cf. Most. 928: *Sat sapio, si abs te modo uno caueo,* Phorm. 335 sq., Rud. 899.

[3]) Cf. Curc. 327 Curc.: *Nihil attuli.* Phaedr.: *Perdidisti me.*

[4]) T. Macci Plauti comoediae recensuit et ennarravit J. L. Ussing Hauniae 1875 sqq.

[5]) ‚Sectatust' pro librorum lectione sectatus (i. e. sectatu's) Luchs recte scripsit (cf. Herm. t. XIII. p. 500). codicum scripturam tenet Ribbeck (in ed. Lips. 1881).

Digitized by Google

re sentiat, pronuntiet; enuntiatum igitur, quo iudicium continetur, semper succedit membro explicativo.

Iam eos diverbii locos referamus, quibus aut ab eadem persona et res et iudicium de eadem re praedicatur, aut ab altera, quid fiat, pronuntiatur, ab altera, eiusdem rei quae sit vis ac momentum, exponitur, ita tamen, ut utrumque enuntiatum ad aliam personam, quae colloquii non est particeps, aut ad rem quandam spectet. haec autem eius usus distinguas velim genera:

I. in utroque membro verba sunt indicativi praesentis. Amph. 351 sq. M.: *Rex Creo uigiles nocturnos singulos semper locat.* So.: *Bene facit,* Men. 790 Matr.: *At enim ille hinc amat meretricem ex proxumo.* Sen.: *Sane sapit,* Merc. 438 sq. Char.: *Commodis poscit pater.* Dem.: *Nequiquam poscit,*[1]) Cist. IIII 2, 74. eodem spectare videtur locus graviter corruptus, Most. 762 sq. adde Bacch. 839 sq. Chrys.: *Quid? illam meretricemne esse censes?* Nic.: *Quippini?* Chrys.: *Frustra's* (sc. quom censes), Merc. 944 sq. his locis modo allatis sententia explicativa praecedit alteri membro, quo iudicium continetur; contra res se habet: Pseud. 607 sq. Pseud.: *Immo uero eius sum Subballio.* Harp.: *Quid istuc uerbist?* Pseud.: *Condus promus sum, procurator peni,* Epid. 12, Truc. 169 sq. Ast.: *Amator similis oppidist hostilis.* Din.: *Quo argumento?* Ast.: *Quam primum expugnari potis, tam id optumumst amicae,*[2]) Mil. 1014 sq. Pal.: *Immo et celas et non celas.* Mi.: *Quo argumento?* Pa.: *Infidos celas : ego sum tibi firme fidus* (mente praemittendum est enuntiatum : ‚me non celas' : nam ego . . .).[3]) — his accedat Rud. 162 sq.

II. indicativi perfecti sunt verba his locis: Poen. 609 sq. Coll.: *Fores haec fecerunt magnum flagitium modo.* Advoc.: *Quid id est flagiti?* Coll.: *Crepuerunt clare.* Capt. 943 sq., Most. 1108 sq., Adelph. 462 sqq., Phorm. 476 sq. membrum, quo iudicium exprimitur, alteri succedit: Epid. 414 sqq. Ap.: *Te pro filio Facturum dixit rem esse diuinam domi . . .* Per.: *Rectam institit,* Merc. 943 sq., Most. 458, 466, 462 (sic exhibent codd.) Tran.: *tetigistin' foris?* Theopr.: *Quo modo pultare potui, si non tangerem?* Tr.: *Occidisti hercle* — Theopr.: *Quem mortalem?* Theopr.: *Omnis*

---

[1]) Ritschl altero loco ‚poscet' scripsit; at cf. Cist. IIII 2, 74.

[2]) Coniecturis, quas viri docti de hoc loco proposuerunt, neque sensus loci neque verborum formae mutantur.

[3]) Verba tradita haud leviter depravata ‚immo etiam set (vel sic) non celas' a Luchsio (cf. Herm. t. XIII p. 504) rectissime mutata esse arbitror in *immo et celas et non celas.* simillimam orationis structuram inveni Trin. 104 sq. *Est atque non est mi in manu Megaronides : Quin dicant non est : merito ut ne dicant id est.* Ribbeck scripsit: *Immo etiam : sed male celas.* Brix Luchsium secutus est; integram codicum scripturam recepit Lorenz in ed. II.

Digitized by Google

tuos (i. e. quom . . . tetigisti, occidisti)[1]), Phorm. 475. accedunt quattuor illi loci, quos supra p. 71 commemoravimus: Mil. 1090 sq. Mi.: *clam nostrum hunc furtim sermonem sublegerunt.* Pal.: *Lepide factumst.* (i. e.: Lepide fecerunt, quom sublegerunt), Rud. 1364 sq., Asin. 451, Merc. 481 sq.

III. futurum legitur duobus locis: Pseud. 525—529 Pseud.: *Dabo aliam pugnam claram ac memorabilem.* Si.: *Quam pugnam?* Pseud.: *Em, ab hoc lenone . . . Per sycophantiam . . . Tibicinam illam . . . Ea circumducam lepide lenonem,* Amph. 357 sq.

Nunc eos locos spectemus, in quibus binae sententiae coincidentes ab una eademque persona nullo interveniente pronuntientur, atque haec eius structurae genera discernamus:

I. utriusque enuntiati verbum est indicativi praesentis. quam structuram ut explicemus, priore loco enumeremus ea exempla, in quibus membrum explicativum sequitur alterum: Pseud. 80: *Miser sum : argentum nusquam invenio mutuom,* ibid. 299, Rud. 531 sq., Truc. 808, Adelph. 540, Poen. 765: *Malu's : captatum me aduenis cum testibus,* Adelph. 479 sqq., Mil. 436: *Iniuria's : Falsum nomen possidere, Philocomasium, postulas;* Pseud. 261: *Stultus es, rem actam agis,* Cist. I 1, 81 sq.: . . . *meretrix fortunati est oppidi similluma, Non potest suam rem obtinere sola sine multis uiris,* Asin. 178, 241 sq., Truc. 171 sq. (cf. eiusdem fabulae v. 169 sq.), Rud. 373 sq.: (Neptunus) *quamuis fastidiosus Aedilis est : sic quae inprobae sunt merces, iactat omnis,* Curc. 103: *Modicast : capit quadrantal,* Phorm. 851, Aul. 324 sq., Bacch. 1141, Capt. 888, Curc. 9, Epid. 673 sq., Men. 1063, Merc. 361, Mil. 69 sq. (de hoc loco cf. praeter Brixium Lorenzii adn. crit. p. 257), Most. 120 sqq., Pseud. 747, Trin. 851: *Pol hic quidem fungino generest : capite se totum tegit,* Amph. prol. 131 sq.: *Pater nunc intus suo animo morem gerit : Cubat conplexus, quoius cupiens maxumest;* ibid. 565—568: *Tune me . . . audes erum ludificari? Tune id dicere audes . . . . . tempore uno Homo idem duobus locis ut simul siet?* i. e.: . . . ludificari audes, quom . . . dicere audes, Asin. 61 sq.: *Maxumas nugas agis : Nudo detrahere uestimenta me iubes* (cf. Ussing. comm. in h. l.), Cas. 878: *Sed ego insipiens noua nunc facio : pudet quem prius non puditumst umquam* (sic A teste Studemundo), Adelph. 593;

[1]) Cf. Pseud. 931: *Occidis me quom istuc rogitas.* versuum ordinem, qui est in libris, contra Ritschelium recte retinuerunt Ussing (cf. comm. in h. l. vol. I p. 333) et Lorenz. si Ritschelium sequamur, haec evadat enuntiatorum coincidentium conformatio:

459 *Non potest*
460 *Dici, quam indignum facinus fecisti et malum.*
461 . . . . . .
462 *Occidisti hercle . . . . Omnis tuos.*

Digitized by Google

Cist. I 1, 36 sqq.: (Matronae) . . . *Aquam frigidam subdole subfundunt. Viris cum suis praedicant nos solere. Suas pelices esse aiunt : eunt depressum.* quo loco ut permultis aliis quae priore membro per imaginem quandam praedicantur enuntiato postposito explicantur : aquam . . . subfundunt, quom . . . praedicant . . . aiunt, Curc. 198 sq., Poen. 384, Merc. 501: . . . *nimis stulte facis : oculos corrumpis talis;* i. e. nimis stulte facis, quom o. t. corrumpis (plorando), Andr. 131 sqq., Hec. 692 sq. praeterea cf. Amph. 213 sq., Aul. 71 sqq., Merc. 235 sqq., Mil. 209, Most. 304 sq., 638 sq., 729—731, Poen. 809 sq., Trin. 104 sq., Adelph. 50 sqq., 535 sq.,[1]) 871 sqq. iam adferamus eos locos, quibus enuntiatum, quo iudicium fit, alteri membro postponitur: Aul. 809: *Quadrilibrem aulam onustam auro habeo : quis mest alter diuitior?* i. e.: Quis mest alter diuitior (vel : sum ditissimus), qui . . . habeam,[2]) Curc. 94, Bacch. 1139 a et b, Most. 235 sq.: . . . *dies noctisque estur, bibitur, Neque quisquam parsimoniam adhibet : sagina planest,* Bacch. 119: *Tu dis nec recte dicis : non aequom facis,* Capt. 582, Amph. 995: *Amat : sapit* (cf. Men. 790), Heaut. 322 sq., Eun. 245 (cf. supra p. 69 adn. 4), Phorm. 968: *Itan agitis mecum? satis astute adgredimini* (quom ita mecum agitis). addere liceat Men. 870 sq.[3]) coniunctivum praesentis potentialem duobus locis legimus: Phorm. 186: *Loquarne? incendam; taceam? instigem; purgem me? laterem lauem,* Trin. 441: *Hic postulet frugi esse : nugas postulet*[4]). quocum loco cf. Adelph. 200 sq.: *Ob male facta haec tantidem emptam postulat sibi tradier . . . : suom ius postulat* (cf. Poen. 809 sq.), Poen. 776, Eun. 476: *Tacent : satis laudant* (i. e.: quom tacent, satis laudant), Pseud. 369, Rud. 478, Phorm. 266 sq., Trin. 440: *Ego quoque uolo esse liber : nequidquam uolo*; ibid. 565.

II. in utroque membro legitur indicativus perfecti. de hac structura verba facturi priore parte ea exempla enumerabimus, in quibus explicativa sententia alteram sequitur: Amph. 463 sq.: *Bene prospereque hoc operis processit mihi : Amoui a foribus maxumam molestiam,* ibid. 784 sq., Rud. 90 sq., Curc. 583 sq.: *Curculio hercle uerba mihi dedit quom cogito : Is mihi anulum subripuit,* Eun. 727, Cas. 1010 sq., Bacch. 665 sq.: *Herculem fecit ex patre : Decumam partem ei dedit, sibi nouem abstulit* (cf. ibid. 810 sq.), Aul. 465 sqq.: *Condigne etiam meus med intus gallus galli-*

---

[1]) H. l. ne de interrogatione a Dziatzkone solo statuta cogitemus, totus orationis conexus obstare videtur.

[2]) Cf. Trin. 929: *Quis homost me insipientior, qui ipse egomet, ubi sim, quaeritem?*

[3]) De v. 870 a viris doctis sat multis coniecturis hiatus tollendi causa temptato cf. Fr. Schoell. ed. app. crit.

[4]) nugaſpoſtuleт B; ceteri exhibent indicativum ‚postulat', quam formam Bergk defendere studuit (cf. ed. Schoell. app. crit.). neque tamen editores quos quidem noverim Bergkium secuti sunt.

Digitized by Google

nacius . . . perdidit paenissume: *Ubi erat haec defossa, occepit ibi scalpurrire ungulis*, Phorm. 705—709, Bacch. 951 sq., Cas. 104 sq., Poen. 802 sq., Capt. 452 sqq.: . . . *rem meam Constabiliui quom illos emi*: *Expediui ex seruitute filium*, Epid. 130 sqq.: *quod tu mandasti mihi, Inpetratumst. empta ancillast, quod tu* e. q. s. simillima orationis structura animadvertitur Merc. 544; Andr. 139—141: *Quid feci? quid commerui aut peccaui pater? Quae sese in ignem inicere uoluit, prohibui, Seruaui* (i. e. nihil feci, nihil commerui neque peccaui, quom . . . prohibui, seruaui); ibid. 601—603, Eun. 653 sq., Heaut. 964 sqq. praeterea cf. Merc. 357 sq., Poen. 805 sq., Rud. prol. 68 sq., 360, Adelph. 962 sq., Eun. 512 sq. accedunt Phorm. 509 sq., Pseud. 38 sq. enuntiatum, quo res ipsa narratur, alteri membro praecedit his locis: Cist. I 3, 27: *Ea diem suum obiit, facta morigera est uiro*,[1]) Merc. 604: *Hic emit illam*: *pulcre os subleuit patri*, Epid. 490 sq., Poen. 562, Rud. 217.

III. imperfecti coniunctivum legimus Eun. 604—606: *An ego occasionem Mi ostentam . . . Amitterem? tum pol ego is essem uero, qui simulabar* (eunuchus).

IIII. futurum in utroque membro adhibitum est his locis: Pseud. 404 sq.: *Nunc ego poeta fiam*: *uiginti minas, Quae nusquam nunc sunt gentium, inueniam tamen*,[2]) Rud. 932 sq., ibid. 999 sq., Heaut. 487 sqq.: . . . *ibit ad illud ilico, Quo maxume apud te se ualere sentiet*: *Abiturum se abs te esse ilico minitabitur.* mutatum membrorum ordinem invenimus Cas. 443: *Recessim cedam ad parietem*: *imitabor nepam*, Andr. 388—390: *tu ‚ducam' inquies*: . . . *reddes omnia, Quae nunc sunt certa ei consilia, incerta ut sient*, i. e.: Quom . . . inquies, . . . reddes. his locis omnibus causalem quandam rationem inter bina membra coincidentia intercedere iudices. res autem semper sic comparata est, ut causa et eventus quodammodo eadem sint et eo membro, quo eventus contineri videatur, nihil nisi *nomen* quasi indicetur rei, quae altero membro, in quo causam inesse putes, praedicatur. veluti cf. Pseud. 261: Stultus es, rem actam agis, Mil. 436 sq.: Iniuria's: Falsum nomen possidere . . . postulas, Bacch. 119: . . . tu dis nec recte dicis: non aequom facis; atque primo loco ‚stultum esse' consistit in ‚rem actam agendo', altero ‚iniuriam esse' positum est in actione ‚falsum nomen postulandi', tertio ‚dis non recte dicere' dicitur ‚non aequom facere'. cum his vero similibusque locis a Weißenhornio[3]) et Weningero[4]) haud recte confusi sunt ii, ubi

---

[1]) Recte explicat Lambinus: Facta morigera est viro ideo, quod mortua est, quoniam hoc vir optabat.

[2]) Qui poeta sit intellegendus, cognoscitur ex vv. 401 sqq.

[3]) l. c. p. 16 sq.; ubi exemplorum collectionem sat mancam esse ex numero locorum eius generis a nobis allatorum intellegi potest.

[4]) l. c. p. 85 sqq.

Digitized by Google

causa extrinsecus adscita neque ea, qua contineatur altera actio, ad alterum membrum adiungitur. veluti cf. Rud. 1411: *Bene facis : Gratiam habeo magnam* (coll. Eun. 1091: *Bene fecisti : gratiam habeo maxumam*) vel Eun. 105: *Plenus rimarum sum : hac atque illac perfluo.* quibus locis res sane ita se habet, ut eodem iure, quo alterum enuntiatum per causalem coniunctionem *cum* vel *quod* subiungas alteri, particula *ut* consecutiva uti possis ad hypotaxim efficiendam. at in enuntiatis vere coincidentibus subiungendi ratione adhibita neque particulam *cum* modo coniunctivo verbi praemissam neque coniunctionem *ut* — abhorret enim ratio consecutiva a coincidentiae notione — adhiberi licet; immo si ea enuntiata ad Ciceronis perpolitum loquendi genus conformes, membrum alterum alteri per particulas *cum* vel *quod* cum indicativo verbi coniunctas addi oportet. quodsi Weißenhornium sequamur, Bacch. 119: *Tu dis nec recte dicis : non aequom facis,* altero membro alteri subiuncto hae orationis formae efficiantur: ‚Cum dis nec recte dicas, non aequom facis' — id quod rei grammaticae repugnat — aut ‚Tu dis nec recte dicis, ut non aequom facias', quam verborum structuram h. l. probari posse mirum puto tibi videatur. quin etiam hac orationis conformatione loci sententia prorsus pervertitur. nam enuntiato ‚non aequom facis' poeta nequaquam significat eventum actionis ‚dis non recte dicendi', sed illo membro iudicium ponitur de actione membri praemissi, quam ob rem hoc illi nisi coniunctione *quom* indicativo servato subiungi non licet; cf. eius generis exempla infra p. 93 sq. allata. ceterum id primum quaerendum est, num scriptor, de quo agas, ipse enuntiata eiusdem generis ratione subiungendi adhibita expresserit, et ex eius dicendi usu singula parataxis genera sunt metienda; id quod Weißenhorn non respexisse videtur, qui l. c. p. 4 sententias relativas e disputatione sua se removisse dicat, ‚quippe quae certis exemplis paratacticis carere sibi videantur', et elocutionibus, quales sunt ‚miser sum, stultus sum, iniurius sum', alterum membrum postpositum particula ‚cum' adhibita subiungendum esse censeat (l. c. p. 18). quae sententia est falsissima. nam iis locis, quibus iudicii quod diximus praedicatum nomine quodam adiuncta copula ‚sum' continetur, particulam *quom* in Plauti Terentique comoediis rarissime adhibitam animadvertimus, dico Poen. 914: *Lepidu's quom mones,* Most. 588, Pseud. 208, Pers. 349 sq., Stich. 745, Adelph. 897.[1]) tum sententiae ‚stultus sum, miser s., iniurius s.', nullo loco neque apud Plautum neque in Terenti fabulis particula *quom,* sed nisi pronomine relativo cum sequenti membro explicativo nusquam fere[2]) conexae inveniuntur. quodsi his locis: Pseud. 80, Mil. 436 sq., Pseud.

[1]) Epid. 111 haud dubie interpolatoris est; cf. Luebberti l. c. p. 32 sq.

[2]) Paucissimis locis membrum explicativum incipit a particula *quia*: Epid. 551 sq., Rud. 521, Capt. 994; praeterea cf. Capt. 993.

Digitized by Google

261 (cf. supra p. 74) membrum explicativum alteri subiungamus, verba hoc modo conformare nos oportet:

a) Miser sum, qui ... inuenio; cf. Men. 852: *sumne ego mulier misera, quae illaec audio?* Merc. 588, Amph. 325 sq., Most. 362, Phorm. 173 sq. coniunctivum uno loco inveni, Adelph. 852.

b) Iniuria's, quae ... postules; cf. Curc. 65 sq.: *Iniuriu's, Qui quod lenoni nullist id ab eo petas.*[1])

c[1]) Stultus es, qui ... agis; cf. Bacch. 464: *Stultus es, qui illi male aegre patere dici qui facit;* ibid. 123 sq., Men. 904, Pers. 75.

c[2]) Stultus es, qui ... agas; cf. Most. 194 sq.: *Stulta's plane, Quae ... putes,* Poen. 291 sq., Truc. 730, Merc. 919 sq., Mil. 370 sq., 443, Hec. 564.

Transeamus ad eos locos, quibus membrum explicativum cum altero, quo iudicium contineri diximus, particula quadam coniungitur. usurpantur autem in ea re hae particulae:

et: Merc. 546: ... *antiqua recolam et seruibo mihi,* i. e. antiqua recolam, quom seruibo mihi; nam sibi servire h. l. idem valet quod ‚antiqua recolere', Capt. prol. 40 sq.: *Et hic hodie expediet hanc docte fallaciam Et suom erum faciet libertatis conpotem.* quo loco, ut ex toto orationis conexu elucet, actio expediendi fallaciam posita est in actione membri praemissi.[2])

que: Asin. 138: *Male quod potero ... faciam meritoque id faciam tuo.* Bacch. 361 sq.

atque (ac): Asin. 380: *Quin tuom officium facis ergo ac fugis?* (Leonidae servi officium h. l. consistit in fuga, h. e. in eo, quod quam celerrime erum certiorem faciat de iis, quae inter se et conservum convenerint), Trin. 362. eodem spectat Asin. 161, ubi Lachmann pro librorum scriptura *quae* vel *quę* coniunctionem *atque* suo iure proposuisse videtur: *Quom tu med ut meritus sum non tractas atque eicis domo,* i. e.: tu med ... non tractas, quom eicis domo (me). actionum coincidentia perspicua fit ex vv. 127 sqq.; tum *quom* suo loco est (cf. Luebberti l. c. p. 114. Dc) neque cum Fleckeiseno, quem sequitur Ussing, mutandum in ‚quoniam'. *med* autem pro librorum scriptura ‚me' Bothe restituit, probavit Ritschl ‚Nov. exc. Plaut.' p. 35. iam agitur de altera versus parte *quae eicis domo.* atque Bothe, Ritschl l. c. ad hiatum tollendum coniunctivum *eicias* receperunt, Fleckeisen, quocum Ussing facit, inter verba *quae* et *eicis* pronomen *me* inseruit; sed neutrum probabile duco; nam et indicativus in relativis enuntiatis causalibus

[1]) *qui* ex *quid* correctum praebet B, *qui* F. *quid* EJZ. quo iure Geppert *si* scripserit, in propatulo est.

[2]) Gepperti coniecturam ‚ut . . faciat' necessariam non esse apparet.

Digitized by Google

totiens legitur,[1]) ut in eo modo vix offendi liceat, et obiecto *me*, quod Ussing necessarium putat (cf. comm. in h. l.), facile caremus.[2]) quae cum ita sint, Lachmannum sequendum esse censeo, praesertim cum particula *atque* ad enuntiata coincidentia conectenda saepius adhibeatur. coniunctivum praesentis in utroque membro legimus Eun. 382 sqq.: *... si ... illis crucibus ... Nunc referam gratiam atque eas itidem fallam, ut ab illis fallimur?* (quo loco *gratiam referre* consistit in meretricibus fallendis), Amph. 873 sqq.: *Nunc Amphitruonem med ... Iterum esse adsimulabo atque in horum familiam Hodie frustrationem iniciam maxumam* (Iuppiter eo ipso, quod Amphitruonis partes agit, in eius familiam ‚frustrationem inicit maxumam'), Mil. 861, Heaut. 728, Asin. 847 sq.: *... quoniam tibi potestatem dedi Cum hac annum ut esses atque amanti argenti feci copiam*, i. e. dedi, quom ... argenti (viginti minarum) feci copiam; cf. vv. 229 sq. his locis, si excipias Amph. 873 sqq., Mil. 861, Trin. 362, membrum explicativum sequitur alterum.

neque: Most. 516: *Nihil ego commerui neque istas percussi foris* (i. e. Nihil ... commerui, quom non ... percussi.[3]) quo loco culpam in ipsa actione percutiendi foris consistere e praecedentibus et iis, quae sequuntur, intellegi licet) Rud. 912—914, 300 sq., Eun. 243: *Omnia habeo, neque quicquam habeo* (i. e. quom [= etiamsi] omnia habeo, tamen — si rem recte perpendas — nihil habeo).[4])

nam: omnibus, ut par est, locis explicativa sententia succedit membro alteri. Mil. 110—113: (Miles) *Sublinit os illi lenae matri mulieris .... nam is illius filiam Conicit in nauem miles ... Eamque huc aduehit*, Pseud. 698 sq., Rud. 525 sq., Trin. 339 sq., Cas. 208 sq.: *Satin sana es? Nam tu quidem aduorsus Tuam istaec rem loquere*, i. e. Non satis sana es, quae ... loquaris,[5]) ibid. 394; Men. 758 sq., Merc. 854—856, Most. 700 sq. Mil. 138—142: *... paraui hic intus magnas machinas, Qui amantis ... inter se facerem conuenas. Nam ... In eo conclaui ego perfodi parietem*, Trin. 826 sq., Eun. 737. Pers. 736 sq.: *Pol istuc ... omen iam ego usurpabo domi : Nam iam inclinabo me cum liberta tua*, i. e.: Istuc

---

[1]) Cf. infra p. 85 sqq.

[2]) Velut cf. Bacch. 241 sq.: *Adibo hunc, quem quidem ego hodie faciam hic arietem Phrixi : itaque tondebo auro usque ad uiuam cutem* (eum). sic recte exhibent libri, cf. P. Langen ‚Beiträge zur Kritik und Erklärung des Plautus' Lipsiae 1880, p. 232, Handii Turs. t. III 507 sq., 13. *itaque* idem fere valet, quod *ita*; praeter necessitatem igitur Bergk (cf. opp. I 674) aut *Phrixi atque detondebo* aut *Phrixi ita eum tondebo* scribendum esse proposuit; neque Ritschelii inventum *ita detondebo*, quod Ussing recepit, necessarium videtur.

[3]) Cf. Pseud. 1135: *Me nunc commoror, ... quom has foris non ferio.*

[4]) Cf. Weningeri l. c. p. 106.

[5]) Cf. Men. 312 sq., Trin. 454 sq.

Digitized by Google

omen (‚Vt bene sit tibi' v. 735) eo usurpabo, quod ... inclinabo. Capt. 728 sqq., Heaut. 217 sq., Adelph. 589 sqq.

ita, que ita, et ita, itaque, eo pacto: Hec. prol. 20 sq.: *Perfeci ut spectarentur ... ita poetam restitui in locum* (‚ita' h. l. idem valet quod ‚hoc modo').[1] Mil. 150—153, ibid. 147—149: *Glaucumam ob oculos obiciemus eumque ita Faciemus ut quod uiderit ne uiderit* (i. e. Quom ... obiciemus, faciemus), Curc. 637—639: *Is* (pater) *priusquam moritur mihi dedit* (anulum) *tamquam suo ... filio ... Et ita me heredem fecit* (libri exhibent et iste, quod correxit Goetz), Amph. 267 sq., Poen. 456: ... *exta uotui prosicarier. Eo pacto auarae Veneri pulcre adii manum*, i. e. Venerem decepi, quom ... uotui. ab iis autem enuntiatis, in quibus interiecta particula ‚ita' actio, quae praemisso membro continetur, quodammodo comprehenditur, ut interpretari eam liceat verbis ‚hoc modo' vel ‚eo pacto', seiunximus eos locos, quibus in particula ‚ita' causalis fere vis inesse videtur, ita ut hic illic nostro ‚denn' vel ‚nämlich' verti eam non solum liceat, sed necesse sit. velut cf. Most. 564 sq.: ... *ne ego sum miser : Ita et hinc et illinc mi exhibent negotium.* hoc enim similibusque locis, qui coincidentibus simillimi videntur,[2] illud ‚ita' mihi quidem ea cum vi posita esse videtur, ut causam indicet non actionis membri praemissi — tum enim sane pari esset dignitate atque particulae causales ‚enim', ‚nam' —, sed ut causam significet, cur praecedentis enuntiati actio locum habere possit vel omnino pronuntiare eam nobis liceat: Ne ego sum miser : ita et hinc et illinc mi exhibent negotium, ut iure dicas : ne ego sum miser. eiusdem generis est Rud. 86 sq.[3])

Locis adhuc pertractatis enuntiatorum coincidentium verba finita eiusdem temporis modique sunt; iam ea exempla spectemus, in quibus, quamvis diversa sint tempora verborum, coincidentiam sententiarum negari non liceat.

Atque primo quidem loco ea enuntiata enumerabimus, in quibus actio tempore loquendi ad finem perducta et in statum continuum transgressa ideoque non iam praeteriti, sed praesentis vi ornata

---

[1]) Cf. Th. Braunii Observationes gramm. et crit. ad usum ‚ita, sic, tam (tamen), ideo' particularum Plautinum et Terentianum spectantes. Dissert. Berol. 1881.

[2]) Cf. Pseud. 80.

[3]) Cf. ea, quae P. Langen l. c. p. 231 sqq. de eius generis enuntiatis disputavit; praeterea respicias Naegelsbachii, Lat. Stilist.[6] § 189. 2. eadem ratione explicandos censeo locos quosdam coincidentibus simillimos, quibus pro demonstrativa particula ‚ita' exclamativum ‚ut' aut pro pronomine ‚is', quod pariter ponitur in epiphonemate (cf. Weißenhornii l. c. p. 16, Weningeri l. c. p. 83), exclamativum qui(s) legimus, velut Rud. 421—424: ... *Veneris ecfigia haec quidemst : Vt in ocellis hilaritudost : heia corpus quoiusmodi : ... Vel papillae quoiusmodi : tum quae indoles in sauiost*, i. e.: Ita (i. q. talis) in ocellis hilaritudost, corpus eiusmodi ... Vel papillae eiusmodi : tum ea indoles in sauiost ut, iure dicas : Haec est Veneris ecfigia.

Digitized by Google

conectitur cum actione temporis praesentis. iam inspicias hos locos: Truc. 217 sq.: ... *quod habebat nos habemus, Istic id habet quod nos habuimus — humanum facinus factumst,* ibid. 174: *Non hercle ego omnino occidi: sunt mi etiam fundi et aedis*[1]) (i. e.: Non ... occidi, quom ... fundos ... habeo), Andr. 954. eodem spectat Mil. 48 sq.: Art.: ... *sic memini tamen.* Pyrg.: *Edepol memoria's optuma* (i. e. qui sic tamen meministi, quot homines uno die occiderim). paulo diversi generis est Rud. 711 sq.: *Ius meum ereptumst mihi. Meas mihi ancillas inuito me eripis.* quo loco membri explicativi verbum *eripis* (ius meum ereptumst mihi, *quom* ancillas mihi eripis) non ad tempus praesens spectare, sed actionem indicare videtur, quae nulla temporis ratione habita generalem in modum ab eo, qui loquitur, quadam cum indignatione pronuntiatur.[2]) addere liceat Bacch. 623 sq.

Iam perlustremus eas sententias, in quibus praesens historicum cum perfecto historico coniungitur. Mil. 308 sq.: *Dum ego in tegulis sum, illa ec suo sese hospitio edit foras. Edepol facinus fecit audax,*[3]) Cas. 549 sq.: ... *flagitium maxumum feci miser ... operam uxoris polliceor foras, Quasi catillatum,*[4]) Aul. 377 sq., Mil. 106 sqq., Hec. 816 sqq.: *Quantam obtuli aduentu meo laetitiam Pamphilo hodie! Quod commodas res attuli! quod autem ademi curas! Gnatum ei restituo, ... Vxorem ... reddo; qua re suspectus suo patri ... fuit, exsolui* (i. e.: Quantam obtuli laetitiam ... quod commodas res attuli, quod ... ademi curas, *quom* ... restituo, ... reddo ... exsolui), Hec. prol. 37 sq. perfectum historicum cum imperfecto coniunctum legimus locis hisce: Pscud. 1083 sq. Ba.: *Malum ... aibat esse me.* Si.: *Pol hau mentitust*[5]) (quo loco verba *aibat* et *mentitust* sine dubio ad unum idemque pertinent temporis spatium,[6]) Heaut. 99 sqq.: ... *coepi non humanitus Neque ut animum decuit aegrotum adulescentuli Tractare, sed ui et uia peruolgata patrum. Cottidie accusabam.* ‚coepi tractare' idem fere valet, quod ‚tractabam'.

---

[1]) Hanc Brixii lectionem loci corruptissimi, cum et proxime accedat ad litteras traditas et optime convenire videatur in sensum, cum Fr. Schoellio recipiendam esse arbitror.

[2]) Cf. I. Schneideri dissertationem ‚De temporum apud priscos scriptores Latinos usu quaestiones selectae' Glaciae 1888, p. 6.

[3]) Verbum *edit* non est mutandum; cf. Ritschelii, Nov. exc. Plaut.' p. 51, adn. 2 et quae Brix in ed. alt. app. crit. et Lorenz in ed. alt. adn. crit. disputant.

[4]) Hunc locum I. Schneider l. c. in eundem ordinem redegit atque Rud. 711 sq., vix recte.

[5]) Praecedunt (v. 1080) Simonis verba interrogantis: *Quid dixit tibi?* cf. Merc. 943 sq.

[6]) Schneider l. c. p. 17 plurimis exemplis allatis ostendit veteres scriptores ad rem praeteritam simpliciter adferendam perfecto et imperfecto promiscue usos esse et hoc etiam ipsum aoristi locum obtinere. ad exempla ab eo prolata adicias Truc. 217 sq.: *Quod habebat, nos habemus, Istic id habet, quod nos habuimus.*

Digitized by Google

Accedunt quattuor loci, quibus futurum simplex et exactum una legitur. Amph. prol. 53 sqq.: *commutauero* : *Eandem hanc ... faciam ego ex tragoedia Comoedia ut sit* (commutatio consistit in eo, quod ex tragoedia fit comoedia), Stich. 483 sq.: *Sed quoniam nil processit hac, ego adiero Apertiore magis uia. ita* : *plane loquar,*[1]) Adelph. 980: *Tu tuom officium facies atque huic aliquid paulum prae manu Dederis* e. q. s., Heaut. 340 sq. quibus locis futurum simplex et exactum nullo temporis discrimine posita esse videmus; nam futurum exactum, quod initio actionem significavisse constat in perfectionis statu cogitatam,[2]) his et reliquis quos eiusdem generis infra adferemus locis meram simplicis futuri vim habet, neque nisi artificiis argutiisque adhibitis rem aliter explicari posse arbitror. id quod iis etiam locis perspicitur, quibus eandem actionem ab eadem persona aut a diversis actoribus altero loco per futurum exactum, altero per simplex exprimi videmus; iis enim locis neque primitivam vim absolutam neque relativam, quam etiam in Plauti fabulis non raro statui licet,[3]) in illo tempore inesse arbitrari debemus. veluti cf. ad eam rem Cas. 780 sq.: *Si sapitis, uxor, uos tamen cenabitis ... ego ruri cenauero*[4]) (sic etiam A Studemundo auctore), Men. 545 sq., Pers. 268 sq.: ... *quid faciet mihi? Verberibus caedi iusserit*, Stich. 351, quocum versu aptissime conferas ibid. v. 354. quae cum ita sint, mirum non videri potest, quod in coincidentibus quoque enuntiatis, quippe quae a locis modo allatis, si tempora verbo-

---

[1]) Hos versus, qui in A solo et post v. 485 leguntur, Ussing ut manifesto spurios uncis inclusit (cf. eius comm. in h. l.). at turbatus versuum ordo h. l. nullam sane suspicionis ansam praebere potest, praesertim cum ea, quae duobus illis versibus narrantur, optime conveniant in totius scaenae tenorem. v. 483 Ritschelii coniecturam *adiero*, quae forma et proxime accedat ad codicis rescripti apices ATEGOHAÇIERO, et aptissime conectatur cum verbis sequentibus *Apertiore ... uia*, cum Goetzio recipiendam duco. neque de tradita forma *loquar* dubitari licet. sed etiamsi in uno alterove ex reliquis verbis traditis haereas, tamen sententia totius loci et quae ratio inter duo illa membra intercedat facillime intellegitur.

[2]) Hanc nativam fuisse vim futuri exacti Luebbert (cf. l. c. part. I. p. 98 sqq.) subtiliter exposuit contra Madvigium, qui (cf. opp. acad. ed. II. p. 448 sqq.) relativam vim futuri exacti primitivam esse ostendere studuerat. deinde Th. Meifart in dissertatione, quam ‚De futuri exacti usu Plautino' conscriptam Ienae 1885 publici iuris fecit, nativam futuri exacti notionem eandem fuisse atque simplicis exponere conatus est. quam sententiam suo iure impugnat Fr. Cramer in Woelfflinii libro ‚Archiv für lat. Lexicographie und Grammatik' IIII 594 sqq. et quemadmodum ex vi absoluta et relativa orta sit et ea, qua futurum exactum simplicis vice fungi videatur, dilucide exponit.

[3]) Cf. Pers. 218: *Ni sciero prius* ex te, tu ex me numquam hoc quod rogitas *scies* (quocum loco compares Pseud. 524 sq.: Priusquam istam pugnam *pugnabo*, ego etiam *prius Dabo* aliam pugnam). praeterea cf. Pers. 86, 162, 219, 293, 627 sq., Most. 1006 sq., Rud. 755, 832, Truc. 360, al.

[4]) Pro ‚cenauero' in v. 781 Schoell ‚cenam invenero' edidit.

Digitized by Google

rum spectes, non differant, eandem hic illic deprehendimus temporum discrepantiam.

Ab exemplis adhuc pertractatis, ut quibus initia quasi et nativa coincidentium enuntiatorum forma indicetur, disputationem nostram proficisci oportere putavimus; ex iis autem enuntiatis, quae, cum unam semper eandemque rem contineant, in unum sententiae ambitum cogenda esse haud inepte iudices, Plautum et Terentium, familiarem imitatos sermonem, plurima (sunt loci CCII) eum in modum conformasse vidimus, ut aut alterum membrum nulla particula adhibita iuxta alterum pari dignitate ornatum posuerint (locis CLXXXVI), aut talibus usi sint particulis, quibus coincidentiae ratio perspicua fieri nequeat (locis XVI); ipsa iuncturae ratione (nam, ita) XXV locis actionum coincidentia indicatur. tum aequalitatem temporum in exemplis longe plurimis (CCVIIII) servatam videmus. ubi autem tempora variant (locis XVIII), haec discrepantia aut in indole actionum, quae iis verbis exprimuntur, consistit aut posita est in vivida sermonis alacritate aut explicatur neglegenti vitae cottidianae dicendi consuetudine, quam ab accurata rerum distinctione haud raro abhorrere quis est qui nesciat? postremo si ordinem enuntiatorum respicimus, sententiam explicativam, quam diximus, membrum alterum aut antecedere (locis LXXXXVII) aut excipere animadvertimus (locis CXXX). cum autem huius alterius membri praedicatum ‚nomine' quodam cum copula coniuncto continetur, membrum explicativum ei succedere solet.

Iam age de iis locis exponamus, quibus membra coincidentia pronomine relativo inter se cohaerent. ac primo obtutu relativarum sententiarum indoles a coincidentiae ratione abhorrere videtur; nam ut coincidentiam binarum actionem statui liceat, orationis structuram sic comparatam esse oportet, ut quodcumque iuncturae genus usurpetur, totae semper sententiae inter se quodammodo comparentur. contra vero res se habere videtur in enuntiatis relativis, quippe quae, id quod ipso pronomine relativo indicatur, non ad totum enuntiatum, sed ad membrum huius enuntiati referantur. at si rem accuratius spectemus, coincidentiae rationem etiam in huius generis enuntiatis locum habere posse concedemus. conferas eius usus haec exempla:

I. Capt. 582: *Omnis inueniri similis tui uis. non mirum facis,* Curc. 198 sq. Most. 719 sq.: *Amice facis Quom me laudas,* Men. 701, Bacch. 1165: ... *si amant, sapienter faciunt,* Hec. 709.

II. Amph. 289 sq.: *Meus pater ... recte et sapienter facit, Qui conplexus cum Alcumena cubat,* Poen. 852: *Haud amice facis, Qui cum onere offers moram.*

Atque in exemplis priore loco allatis totae sententiae inter se conferuntur, ita tamen, ut Curc. 198 sq., Capt. 582 membra coincidentia

Digitized by Google

nullo vinculo alterum iuxta alterum ponantur, Most. 719 et Men. 701 actio membri primarii, quo nihil nisi nomen quodammodo continetur rei, quae altero membro narratur, eodem tempore, quo actio secundaria, fieri dicatur, Bacch. 1165 et Hec. 709 actio secundaria, si locum habeat, idem valere dicatur atque actio membri primarii. reliquis locis (Amph. 289 sq., Poen. 852) enuntiatum secundarium multo artiore vinculo grammatico cum primario cohaeret, cum illo membro semper qualitas, ut ita dicam, subiecti primarii exprimatur. sed ipsarum actionum rationem ideo mutari equidem mihi persuadere non possum; nam Amph. 289 sq. illud recte et sapienter facere consistit in actione cubandi, neque aliter res explicatur Poen. 852. praeterea cf. Amph. 753 sq. et Men. 309, Epid. 344 Merc. 468 Men. 156 Pseud. 1135a et Phorm. 844, Cas. 443 Rud. 932 sq. et Cas. 657 sq., Bacch. 677 Heaut. 105 Hec. 682 et Most. 188 sq. Adelph. 65 sq.

Pariter res se habet, si membro relativo subiectum aut obiectum enuntiati primarii continetur aut exponitur, veluti cf. Pseud. 790: *Forum coquinum qui uocant stulte uocant* (quo loco in membro relativo subiecti quodammodo vis inest membri primarii; ipsas autem actiones si inter se perpenderimus, rem non aliter comparatam esse videbimus atque in exemplis modo tractatis; nam ‚forum coquinum vocare' h. l. dicitur ‚stulte vocare') vel Amph. 410 sq.: ... *quae dixisti modo Omnia ementitu's*, ubi membro relativo obiectum ‚omnia' tamquam explicatur; in ipsa autem dicendi actione consistit mendacium. sed haec sufficiant; ex locis enim allatis, quorum numerum facillime augere possumus, elucere arbitramur relativas etiam sententias cum primariis coincidentiae ratione cohaerere posse.

Iam omnes qui huc pertinent locos Plautinos et Terentianos enumeremus. priore autem loco ea exempla collocabimus, in quibus enuntiato relativo causa indicari videtur actionis primariae. ubicumque vero in membro relativo coniunctivus, in primario indicativus positus est, etsi utriusque enuntiati verbum eodem tempore exprimitur, coincidentiae rationem subesse propter ipsam modorum discrepantiam statui non licet.[1]) sed quia in iisdem vel simillimis inter se sententiis modo indicativum, modo coniunctivum in membro relativo adhibitum animadvertimus, non omittemus etiam huiusce generis exempla enumerare. unde facilius intellegi poterit, in quibusnam elocutionibus scriptores rerum coincidentiam ipsis verborum formis significaverint, et ubi logica illa ratione praetermissa actionem membri relativi ut causam extrinsecus adscitam vere causali ratione cum actione primaria mente

[1]) Cf. supra p. 58; Lattmann enuntiata eius generis haud recte coincidentibus adsignavit; cf. eius l. c. p. 72 sq.

Digitized by Google

conexuerint ideoque in illo membro non indicativum, qui modus actione per se spectata flagitatur, sed coniunctivum usurparint.

Utriusque membri actio versatur in tempore praesenti. a) Merc. 874: *Male facis properantem qui me commorare.* Amph. 289 sq., Poen. 852, Stich. 644, Men. 805 sq.: ... *tu male facis, Quae insontem insimules,* Epid. 326, Heaut. 565. b) Amph. 974 sq.: *Iam hisce ambo ... frustra sunt duo* (i. e. falluntur, errant), *Qui me Amphitruonem rentur esse,* Pseud. 378: *Sed sine argento frustra's, qui me tui miserere postulas,*[1]) Most. 188 sq.: *Tu ecastor erras, quae quidem illum exspectes*[2]) *unum atque illi Morem ... geras atque alios aspernere,* cf. Adelph. 65 sq. c) Bacch. 509 sq.: *Sed satin ego animum mente sincera gero Qui ad hunc modum haec hic quae futura fabulor?*[3]) (i. e. satin sanus sum, qui ... fabulor?), Men. 309: *Insanit hic quidem* (Menaechmus), *qui ipsus maledicit sibi,*[4]) Aul. 769: *Sanus tu non es qui furem me uoces,* Curc. 654 sq., Men. 312 sq.[4]), 373 sq., 818, Merc. 292 sq., Trin. 454 sq. Andr. 749. Mil. 434 sq.: *Quae te intemperiae tenent* (i. e.: sanun es), *Qui me perperam perplexo nomine appelles?*[5]) d) Bacch. 123 sq.: *I, stultior es barbaro poticio Qui tantus natu deorum nescis nomina,*[6]) ibid. 464, Men. 904: *Sed ego stultus sum, qui illius esse dico, quae meast,* Pers. 75, Mil. 370 sq.: *Ego stulta et mora multum, Quae cum hoc insano fabuler,*[7]) ibid. 443. Merc. 919 sq.: ... *ego stultior, Qui isti credam*[8]) (eandem copulae omissionem uno loco Terentiano inveni Hec. 564), Most. 194 sq.: *Stulta's plane Quae illum tibi*

---

[1]) FRUSTRAES QUI A solus; est quod ceteri libri, cf. Pseud. 683 sq.

[2]) expectes BCDZ. mutandum non est *expectes* in *expetas*, quod Douza voluit, aut in *exoptes*, quod Acidalium secutus scripsit Ritschl. cf. ea quae Gronov ad h. l. rectissime adnotavit, unde Brix (ad Mil.[2] v. 1244) et Lorenz (ad Most.[2] v. 188 et in adn. crit.) hauserunt.

[3]) Hunc locum in spuriis habet Ussing (vol. II. comm. p. 410 sq.)

[4]) Uterque locus recte se habet neque unum alterumve, id quod viri docti fecerunt, deleri licet; cf. ed. Schoell append. crit. p. 161. ad v. 309 cf. Amph. 753.

[5]) Cf. quae Brix et Lorenz ad h. l. adnotaverunt.

[6]) Sic ordinatos versus exhibent libri; duo qui praecedunt versus cum his mihi quidem optime cohaerere videntur. quare cum Th. Bergkio, qui quidem traditae voci *is* (ante v. stultior) et Festi verbis (p. 216 M) ad h. l. spectantibus nimium tribuens quattuor illos versus audacius transposuit, consentire nequeo (cf. opuscula I 145).

[7]) Stulta et mora A et Ba; sine dubio recte (cf. Brixii et Lorenzii adn. ad h. l. et adn. crit.), stulta moror Bc CDZ, quam lectionem Ritschl solus recepit. ceterum conferas de toto loco P. Langenum l. c. p. 178. de copula omissa cf. Ussingii adn. ad Amph. 56 (vol. I. p. 239).

[8]) Mueller (Pros. Plaut. p. 54) versum 919: *Omnibus hic ludificatur me modis ego stultior*, ut syllabam longam in terminatione *bûs* evitaret, sic conformandum esse censet: *Omnimodis hic ludificatur me . sed sumne ego stultior*, graviore sane medela usus. si quid mutandum est, equidem Goetzium secutus cum Guilelmio, Ritschelio, Ussingio legam: *Omnibus me ludificatur hic modis . ego stultior.* sed concedo asyndeton durius esse.

Digitized by Google

aeternum putes fore amicum,[1]) Poen. 291 sq.,[2]) Truc. 730, Pseud. 908: *... sumne ego homo insipiens, qui haec mecum egomet loquar solus.*[3]) Trin. 929: *Quis homost me insipientior, qui ipse, egomet ubi sim, quaeritem* (i. e.: insipientissimus sum, qui e. q. s.). simillime conformati sunt eiusdem fabulae vv. 936 sq., quo tamen loco manifestam extare dittographiam v. 929 cum Ritschelio et Schoellio non dubito statuere, v. 1057 sq., Truc. 355: *Qui tam infacetu's, Lemno adueniens qui tuae Non des amicae ... sauium?* 930, Cist. IIII 2, 11: *Non sum scitior, quae hos rogem aut quae fatigem.*[4]) e) Adelph. 98 sq.: *Homine imperito numquam quicquam iniustiust, Qui nisi quod ipse fecit nil rectum putat* (i. e. Imperitus homo est iniustissimus, qui e. q. s.; cf. Heaut. 213 sqq., Heaut. 1011: *Iniquos es, qui me tacere de re tanta postules,* Curc. 65 sq. (cf. supra p. 78). f) Merc. 588: *Sumne ego homo miser, qui nusquam bene queo quiescere?* Men. 852, Most. 362, Phorm. 173 sq., Adelph. 852: *Fortunatu's, qui isto animo sies.* g) Men. 614: *Nihil hoc confidentiust, qui, quae vides, ea pernegat,*[5]) Amph. 153 sq.: *Qui me alter et audacior homo aut qui confidentior, ... qui hoc noctis solus ambulem?* h) Rud. 640: *Bene equidem tibi dico, qui te digna ut eueniant precor,*[6]) Poen. 587, Phorm. 844 sq. fortasse etiam Bacch. vv. 7. et 8. ex Charisio deprompti huc spectant. adde Cas. 657 sq.: (ancilla tua) *Imitatur malarum malam disciplinam, Viro quae suo interminatur.*[7]) Asin. 862 sq.: *Verum hoc facto sese ostendit qui quidem cum filio Potet una atque una amicam ductet decrepitus senex,* Bacch. 91: *Sumne autem nihili qui nequeam ingenio moderari meo?* (quo loco illud nihili esse in eo positum est, quod is qui loquitur ‚ingenio suo' moderari nequit), ibid. 1169, Rud. 1113.

Actiones versantur in tempore praeterito: Mil. 1376: *Stulte feci, qui hunc amisi,* Most. 438 sq., Pseud. 1232 sq., Adelph. 215: *Qui potui melius* (sc. adulescenti morem gerere), *qui hodie usque os praebui?* (i. e. Optime adulescenti morem gessi, qui e. q. s.), Amph.

---

[1]) putef B, edd.; indicativum exhibent ceteri libri.

[2]) Locus suspectus; cf. Ussingii comm. in h. l. IIII 308.

[3]) Hoc loco indicativum *loquor* Camerarius scribendum esse censuit, quam coniecturam Ritschl non improbavit, sed ne ipse quidem Camerarium secutus est neque ceteri editores cum illo fecerunt. et recte quidem; nam Plauti dicendi usus, quod ex locis eiusdem generis allatis elucere puto, coniunctivum h. l. postulat.

[4]) Cf. Most. 208 Sc.: *Inscita ecastor tu quidem es.* Phil.: *Qua propter?* Sc.: *Quae istuc cures.* verbum ‚cures', quod deest in libris, addidit Pylades. Ceterum hic versus et sqq. (208—223) a viris doctis iure in spuriis habentur; cf. Lorenzii adn. crit. p. 212, Ussingii comm. in h. l. (III 2, 316).

[5]) confidentius libri, Ussing.

[6]) Cf. Pers. 207: *Quom ut digna's dico, bene, non male loquor.*

[7]) Sic Geppert et Schoell, sed A Studemundo auctore exhibet INTERMINETUR, quare coniunctivum ad fidem libri praestantissimi restituere fortasse praestat.

Digitized by Google

325 sq., Stich. 561 sq.: ... *ille ... adulescens docte uorsutus fuit, Qui seni illi concubinam dare dotatam noluit,* Eun. 1032 sq.: ... *in me plane di potestatem suam Omnem ostendere, quoi tam subito tot congruerint commoda.* restant duo loci singulares, quibus indicativum perfecti cum coniunctivo imperfecti coniunctum legimus: Curc. 551: *Stultior stulto fuisti, qui his tabellis crederes.* Pers. 261: *Stultus* (sc. fuit)[1] *qui hoc mihi daret argentum.* his locis coincidentiae rationem non valere ex ipsa orationis structura perspicuum fit.

Sequitur, ut eos locos perlustremus, quibus enuntiato relativo vis nominis cuiusdam, vel subiecti vel obiecti membri primarii aut continetur aut quodammodo exponitur.

Ac primo loco ponantur ea enuntiata, quorum verba tempore praesenti prolata sunt. praecedit autem membrum relativum primario locis hisce: Bacch. 408: ... *leniter qui saeuiunt sapiunt magis,* Men. 79 sqq., Curc. 679: *Argentariis male credi qui aiunt, nugas praedicant,* Trin. 395 sq. Asin. 617 sq.: *Qui pendet multost miserior,* Stich. 58 sq., Trin. 322, 323,[2] Capt. 690: *Qui per uirtutem perit, abit, non interit,*[3] Curc. 460, Pseud. 790, Rud. 923: ... *qui dormiunt lubenter sine lucro et cum malo quiescunt,*[4] Trin. 672 [*Ille qui aspellit, is compellit*]; ibid.: [*ille qui consuadet, uetat*].[5] Curc. 257: ... *quod scio omne ex hoc scio,* Mil. 352: ... *hoc quod ago id me agere oportet,*[6] Poen. 505, 1200. duobus locis coniunctivus potentialis in utroque membro legitur: Asin. 601 sq.: *Qui sese parere adparent huius legibus, ... Numquam bonae frugi sient* et Mil. 736: *Qui deorum consilia*

---

[1]) Hoc loco quin verbum *fuit* supplendum sit, dubium esse nequit; cf. praecedentia verba: ... *misit* ... *Dedit argentum* ... *dixit.*

[2]) Hi duo versus quin spurii sint, dubitari non licet; cf. Fr. Schoell in ed. adn. crit.

[3]) peritat non BEJFZ; Schoellii coniecturam *perit abit non* optimam esse puto; de ceteris, quae de h. l. excogitaverunt viri docti, cf. Schoellii ed. append. et Ussingii comm. in h. l. (vol. II, p. 502).

[4]) Pro tradita forma *quiescunt* Pius audacius scripsit *quiescent.* Mueller (Pros. Plaut. p. 75) totum versum delendum censet; sed quae hoc versu narrantur optime cohaerent cum v. 921.

[5]) Hunc versum a Plauto abiudicandum esse constat.

[6]) Seiunximus autem a disputatione nostra locos quosdam, quibus membro primario contrarium praedicatur actionis secundariae. in iis enim enuntiatis si veram eruere velis sententiam, alterutrius membri structura mente aliquo modo mutanda est; velut cf. Men. 471: *Non hercle is sum qui sum ni ... hanc iniuriam ... ultus fuero.* quo loco membro primario certe non iudicium quoddam continetur actionis secundariae; immo totam sententiam sic nos interpretari necesse est: Hercle me eum esse qui sum dici nolo, ni ... fuero. eadem pressa oratione poeta sermonis cottidiani imaginem exprimens usus est Bacch. 791: ... *nescio etiam id quod scio* (i. e.: puto etiam id me nescire, quod scio; cf. Lorenzii adn. ad Mil.[2] 572), Mil. 149 (cf. Brixii adn.), ibid. 345, 368, 407, 572, 573, 588, 1014. plena sententia extat ibid. 402 sq. praeterea cf. Aul. 555 sqq., Capt. 255, Trin. 329, 978, [980], Truc. 410.

Digitized by Google

culpet, stultus inscitusque sit. verba, quae post hunc locum leguntur: *Quique eos uituperet* interpolatoris sunt.[1]) his exemplis addere liceat Pseud. 318 sq.: ... *qua opera credam tibi, Vna opera alligem canem fugitiuam agninis lactibus.* quo loco, ut alibi particula *quom*, verbis *qua opera — una opera* indicatur duas illas actiones tempore congruere. interna autem quae inter eas intercedit ratio est coincidentiae; nam membri secundarii actio ‚tibi credendi' idem valere dicitur atque ‚canem fugitivam alligare agninis lactibus'. praecedit enuntiatum primarium: Amph. 687 sq.: *Haud aequom facit, Qui quod didicit id dediscit,* Aul. 460 sq.: ... *facinus audax incipit Qui cum opulento pauper coepit rem habere,*[2]) Pseud. 940, Bacch. 118: *Mali sunt homines qui bonis dicunt male,* Pseud. 1103, Andr. 629 sq., Pers. 179 sq.: *Certo is ... nihilist, Qui nil amat,* ibid. 120, Pseud. 1104, Pers. 762: ... *inprobust homo, qui beneficium scit accipere et reddere nescit,* Trin. 321, Truc. 236,[3]) Pseud. 306, Adelph. 893 sq., Pers. 179: *Miser est qui amat,* Asin. 616, Capt. 461, 462, 463,[4]) Mil. 65, Trin. 354, Amph. 652 sq.: *Virtus omnia in sese habet, omnia adsunt Bona, quem penest uirtus.* quo loco virtutem habere idem valere dicitur, quod omnia bona habere, Asin. 323: ... *istaec uirtus est, quando usust, qui malum fert fortiter,*[5]) Aul. 587, Merc. 596 sq., ibid. 692, Mil. 674. uno loco coniunctivum in utroque membro animadvertimus: Truc. 221: *Stultus sit qui id miretur.*

Utriusque enuntiati actio versatur in tempore praeterito. Poen. prol. 7: *Qui edistis, multo fecistis sapientius,* Amph. 410 sq., Cas. 686, Merc. 936, Epid. 137: *Ego quod benefeci, male feci quia amor mutauit locum,*[6]) Most. 1159: *Quicquid fecit, nobiscum una fecit,* Heaut. 961, Eun. 202 sq., 980, Mil. 381: *Mi hau falsum euenit somnium quod noctu hac somniaui,* Truc. 434 sqq.

Sequuntur ii loci, quibus actiones futuri temporis sunt. Asin. 177: ... *quae amanti parcet, eadem sibi parcet parum,* Most. 1041, Capt. 801: *Qui mi in cursu opstiterit, faxo uitae is opstiterit suae,*[7]) Men.

---

[1]) Cf. Goetzii adn. ad h. l.

[2]) In forma *coepit*, quae h. l. sine dubio praesentis est, offendit Goetz (in adn. crit.); at cf. Brixii adn. ad Men.[2] 960.

[3]) Hunc versum cum duobus praecedentibus Schoell uncis inclusit.

[4]) Quem versum ut meram circumlocutionem versus superioris deleri iubet censor in Ind. phil. II 248 sq. secuti eum sunt Brix et Ussing (cf. eius comm. vol. II p. 488).

[5]) De hoc loco cf. Ussingii comm. I 381.

[6]) Hunc versum duosque qui praecedunt Goetz a Plauto alienos esse iudicat.

[7]) Libri post *is* exhibent *extemplo*, quam vocem, ut versum integrum efficerent, post Pyladen plerique deleverunt. longe aliam emendandi rationem secutus est Schoell, qui hunc versum e duobus truncatis conflatum ratus lacuna statuta orationem sic conformavit: *Faciam ut meminerit, Qui mi in cursu obstiterit ⟨capite aut cubito aut pedibus aut genu: Nam qui obstiterit⟩ faxo uitae is extemplo obstiterit suae.* quod utrum

Digitized by Google

prol. 55 (i. q. Poen. prol. 82), Andr. prol. 10: *Qui utramuis recte norit, ambas nouerit.*

Restat ut ea exempla perlustremus, in quibus tempora verborum inter se variant. atque praesens cum perfecto logico coniunctum legimus locis hisce: Aul. 731 sq.: ... *ego sum et miser et perditus, Quoi tanta mala maestitudoque optigit,* Pers. 474 sq., Rud. 1191 sq., 1281 sq., cf. ibid. 462. uno loco praesens historicum cum perfecto historico coniunctum animadvertimus: Rud. 489 sq.: *Edepol Libertas lepida's, quae numquam pedem Voluisti in nauem cum Hercule una imponere.* ad futurum tempus coniunctivus praesentis et perfecti spectat Poen. 928: *Remora si sit, qui malam rem mihi det, merito fecerit.*[1])

Addere liceat aliquot exempla, in quibus membrum secundarium incipit pronomine ‚quod' (‚was das betrifft dass' vel ‚der Umstand dass'). in eiusmodi enuntiatis pronomen relativum non ad certam quandam personam aut rem refertur, sed totum membrum secundarium quodammodo comprehendit; atque uno loco pronomen *id* in membro primario praemittitur: Merc. 553 sq.: ... *id iam lucrumst Quod uiuis,*[2]) Aul. 624: *Non temerest quod coruos cantat mihi nunc ab laeua manu.* eodem spectare videtur Truc. 471, Eun. 1002: *Numquam ... quicquam* iam diu quod magis uellem euenire *Mi euenit quam quod modo senex intro ad nos uenit.*

Haec sunt omnia, quae in Plauti Terentique fabulis invenire potui exempla, in quibus sententiae coincidentes pronomine relativo inter se conectuntur. locis autem longe plurimis temporum aequalitatem, quam flagitat ratio coincidentiae, servatam videmus. in iis vero enuntiatis, quorum membro secundario causa contineri videatur actionis primariae — sunt loci LXXI —, sententiam secundariam alterum membrum semper excipere animadvertimus. neque tamen in modis eligendis scriptores sibi constant; nam plus XXXV locis membri relativi verbum finitum modi indicativi,[3]) ceteris coniunctivi esse videmus. sed ex ordine, in

---

recte fecerit necne, diiudicare non audeo; hoc solum dixerim nihil obstare, quominus verbum *extemplo*, quod sane superfluum est atque vim totius sententiae infringere videtur, ab interpolatore additum esse sumamus. conferas quaeso Cas. 658, ubi omnes libri cum Ambrosiano post verbum *interminatur* male exhibent *vitam*; ceterum idem Schoell praegresso Spengelio (cf. Philol. XXXVII 446) vv. 800—802 spurios esse arbitratur.

[1]) Hunc versum Ussing cum aliis damnat; cf. eius ed. vol. IIII 336.

[2]) Cf. infra p. 91 adn. 1.

[3]) Apud Ciceronem in causalibus enuntiatis relativis coniunctivi usum legitimum esse satis constat, cf. Kuehner l. c. II 2, § 194 et H. Lattmann l. c. p. 72 sq. sed hic quae (p. 73 adn.) ut ‚eiusdem generis' conferri iubet exempla omnia, si excipias de nat. deor. III 3, 8, longe diversi generis sunt, neque comparanda erant cum iis locis, quibus membro relativo causa exprimitur actionis primariae. atque doctrinam, quam Lattmann

Digitized by Google

quo singula exempla collocavimus, facile perspici potest in certis quibusdam elocutionibus coniunctivum aut magis minusve usitatum aut legitimum fuisse. deinde ea enuntiata relativa, quibus aut subiectum aut obiectum membri primarii continetur aut accuratius definitur, huic membro aut praecedere aut succedere animadvertimus. cum autem membri primarii praedicatum nomine quodam cum copula ‚esse' coniuncto continetur, sententia relativa primariam excipere solet. tum modum indicativum, si primarium verbum eodem modo exprimitur, in relativis eius generis enuntiatis legitimum esse videmus;[1]) in utroque autem membro coniunctivum potentialem quater adhibitum invenimus.

Transgrediamur ad ea enuntiata, quorum membra particulis sive coniunctionibus inter se coniuncta sunt. ac primo loco ea exempla collocemus, in quibus sententia secundaria ad primariam particula condicionali *si* adnectitur. 1. utriusque membri verbum est temporis praesentis indicativi: Curc. 144: *Magnum inceptas si id exspectas, quod nusquamst,* Men. 805, Mil. 717: ... *tibi sunt gemini et trigemini, si te bene habes, filii* (quo loco actiones membri secundarii et primarii in unum cadere ex toto sententiarum conexu intellegi licet; cf. Brixii adn. ad h. l. et Ussing IIII 1, 269), Most. 928: *Sat sapio, si abs te modo uno caueo,* Phorm. 335 sq. Merc. 184, Heaut. 105, Hec. 682, Aul. 207: ... *saluomst, si quid non perit,*[2]) Epid. 649 Str.: *Sanan haec est?* Ep.: *Sana* (est), *si adpellat suom.*[3]) Poen. 381 sq., 1098, Mil. 600, Stich. 641 sq., Aul. 187: ... *sist animus aequos tibi, sat habes, qui bene uitam colas* (Hast du gerechten Sinn, hast du genug des Lebens dich zu freuen), Bacch. 1165, Cas. 795, Poen. 1215. relativam sententiam cum condicionali coniunctam secundarii membri vice fungi videmus Pseud. 767—770: *Quoi seruitutem di danunt lenoniam Puero atque eidem si addunt turpitudinem, Ne illi ... Malam rem magnam multasque aerumnas danunt,*[4]) Adelph. 115 sq.: ... *si quid peccat ..., Mihi peccat,*[5]) Most.

---

septem illis exemplis nisus ibidem protulit de modis eligendis ‚semper relativam enuntiationem coniunctivum habere, cum ipsa sequatur primariam, indicativum, cum antecedat primariae' omni fundamento carere apparet.

[1]) Locus Pseud. 438 sq. diversi generis esse videtur.

[2]) Sic legitur in libris, neque opus esse videtur ut quid in scriptura tradita mutetur, cf. Ussing II 294.

[3]) Hoc uno loco ad elocutionem ‚sanum esse' enuntiatum, quo qua in re mens sana consistat vel unde illud sanum esse eluceat, exponitur, particula *si* adiunctum inveni; nam ceteris locis membra pronomine relativo inter se conecti animadvertimus; cf. supra p. 85.

[4]) V. 768 Ussing (IIII 2. 262) Sauppium secutus spurium iudicat; praeterea cf. adn. crit. ed. Goetz.

[5]) Eodem spectat Rud. prol. 22 sqq., ubi tamen particula *si* tradita non est. inseruit eam Mueller (l. c. p. 509).

Digitized by Google

292: ... *si pulcrast, nimis ornatast*, Poen. 232, quo loco etsi de singulis verbis restituendis disputari licet, de sententia nemo dubitat, Adelph. 231: *Nisi eo ad mercatum uenio, damnum maxumumst.* quo loco ‚ad mercatum non venire' dicitur damnum maximum.[1]) 2. perfecti indicativi sunt verba locis hisce: Amph. 817: *Quid ego tibi deliqui* (i. e. nihil deliqui), *si quoi nupta sum tecum fui?*, Asin. 272, Hec. 709, Asin. 942 sq.: *Hic senex si quid clam uxorem suo animo fecit uolup, Neque nouom neque mirum fecit*, Cas. 997, Rud. 346, Adelph. 103 sq.: ... *haec si neque ego neque tu fecimus, Non siit egestas facere nos* (i. e. si haec ... non fecimus, egestate coacti non fecimus), Heaut. 631 sq., Eun. prol. 27 sq. 3. actiones versantur in tempore futuro: a) Capt. 959: *Si eris uerax, tua ex re facies.*[2]) Most. 329, Trin. 612: *Flagitium quidem hercle fiet, nisi dos dabitur uirgini.* b) Amph. 198: *Si dixero mendacium, solens meo more fecero*, Capt. 695, Pseud. 512, 531 sq., Rud. 1150 sq. accedit Men. prol. 54 (i. q. Poen. prol. 81). 4. coniunctivus praesentis in utroque membro his locis legitur: Aul. 539 sq.: ... *aliquanto facias rectius, Si nitidior sis filiai nuptiis.*[3]) Asin. 506 sq.: *Vbi piem pietatem, si istoc more moratam tibi Postulem placere?*[4]), Merc. 405 sq.: ... *illa forma matrem familias flagitium sit sei sequatur,*[5]) Pseud. 541 sq., Merc. 875: *Si huc item properes ut istuc properas, facias rectius*, Trin. 220, Heaut. 73 sq.: *Quod in opere faciundo operae consumis tuae, Si sumas in illis exercendis, plus agas*, Eun. 61 sqq., Adelph. 145 sqq. 5. coniunctivus imperfecti et plusquamperfecti his locis legitur: a) Heaut. 202: *nam quem ferret, si paren-*

---

[1]) In eius generis enuntiatis, quibus membrum primarium nomine abstracto continetur verbo *sum* adiecto, secundarium saepissime infinitivo exprimitur, cf. Adelph. 216: *Pecuniam in loco neclegere maxumum interdumst lucrum.* eiusdem generis sunt: Amph. prol. 36, 314 sq., Epid. 444, Mil. 68, Pers. 238, 268, 799, Poen. 820, 965, Pseud. 448 sq., 576, 1298 sq., Adelph. 101, 112. Heaut. 566, 922 al.

[2]) Hunc versum a ceteris editoribus damnatum Schoell lacuna in verbis subsequentibus statuta rectissime defendisse mihi videtur; cf. eius ed. praef. p. XXI sq., adn. crit., app. crit.

[3]) V. 539 suspectum dicit Goetz, cf. adn. crit. ab huiusce generis exemplis seiungenda duxi ea, in quibus generale verbum faciendi adiuncto adverbio in membro secundario legitur; velut cf. Capt. 632: *Meam rem non cures, si recte facias.* Cas. 260 sq., Curc. 223 sq., Men. 502, 1023, Truc. 616. his enim similibusque locis coniunctivo verbi secundarii non modo ipsa faciendi actio exprimi, sed etiam animi quaedam condicio (wenn du recht handeln wolltest) significari videtur, ita ut membro primario non iudicium quod diximus fiat de actione secundaria, sed ipsa res ponatur, cui locus sit, si quis actionem, quae praedicatur sententia secundaria, facere velit, cf. Amph. 182 sq., Poen. 892, 963 sq., Andr. 667 sq.

[4]) In voce *ubi* iure haerent viri docti, cf. inprimis Ussingium I 398; sed quae ratio intercedat inter membrum primarium et secundarium, in propatulo est; nam in actione postulandi consistere dicitur impietas.

[5]) Cf. adn. 1; praeterea cf. Bacch. 97 sq., Poen. 965.

Digitized by Google

tem non ferret suom? (i. e.: Nominem ferret, si p. n. f. s.), Hec. 249. b) Most. 243 sq.: *Edepol si uel summo Ioui boues argento eo sacrificassem, Pro illius capite quod dedi, numquam aeque id bene locassem*, Rud. 899. 6) Neque desunt loci, ubi in membro primario indicativus, in secundario coniunctivus positus sit. quae res ex ipsa condicionalium sententiarum natura explicatur,[1]) cf. Mil. 673: ... *in mala uxore atque inimico siquid sumas sumptus est,*[2]) Poen. 921: ... *si eadem hic iterum iterem, inscitiast* (accedit versus suspectus Truc. 234: *Nugae sunt, nisi ... dare iam lubeat denuo,*[3]) Eun. 382—385. 7) spectemus iam ea enuntiata coincidentia, in quibus tempora verborum discrepant. atque condicionales huiusce generis sententias multo plures invenias quam in enuntiatorum generibus adhuc pertractatis observare licuit. a) praesens et perfectum una leguntur: Curc. 514: *si dignis dicitur* (sc. male), *benedictumst meo quidem animo*, Cas. 424 sqq.: *Si nunc me suspendam, et meam operam luserim Et praeter operam restim sumpti fecerim Et meis inimicis uoluptatem creauerim*, Capt. 599 He.: *quid si hunc conprehendi iusserim?* Ty.: *Sapias magis,*[4]) Rud. 472 sq. b) praesens ad futurum adnectitur Mil. 694: *Flagitiumst, si nil mittetur.*[5]) Trin. 675: *Si istuc, quod conare, facis, incendio incendes genus* (i. e.: si ... facis, ... perdes).[6]) c) praesens cum futuro exacto coniunctum invenimus Rud. 179 sq.: *Si ad saxum ... ea deorsum cadit,*[7]) *Errationis fecerit conpendium* Capt. 296, Heaut. 437 sq. his locis quin tempora et secundariorum et primariorum membrorum ad unum idemque futuri temporis spatium spectent, dubitari nequit. d) reliquum est, ut ii loci enumerentur, quibus futurum simplex et exactum una leguntur: Poen. 907: ... *ad incitas lenonem rediget, si eas abduxerit* (quo loco actiones primarii et secundarii membri

---

[1]) Cf. Em. Hoffmanni ‚Studien' p. 22, ibid. adn. 30.

[2]) Cf. v. sq.: ...*in bono hospite...quaestus est quod sumitur.*

[3]) Indicativus *sunt*, quod e locis allatis apparet, offensioni esse non potest. quam ob rem Langenum, qui l. c. p. 50 coniunctivum *sint* commendat, sequi nequeo.

[4]) Ab his exemplis prorsus removenda sunt ea, ubi in secundario membro verbum ‚sapere' legitur. velut cf. Men. 314: *Iubeas si sapias porculum adferri tibi*, Amph. 904 sqq. (ad h. l. cf. Ussing I 320), Men. 603, Merc. 376, 489 (sanus sim idem est quod sapiam), 801, Rud. 96, 1228 sq., Heaut. 379. praeterea cf. similia exempla a Lorenzio ad Most.[2] 515 in adn. crit. congesta. quibus locis omnibus res ita est comparata, ut actio membri primarii fieri dicatur, si personae, de qua agitur, sapientia quaedam tribuatur. neque vero ideo, quod in coincidentibus enuntiatis semper observamus, membro primario, quid sibi velit vel quid valeat actio secundaria, exponitur, sed eventus quodammodo significatur sapientiae.

[5]) Cf. Trin. 612.

[6]) Hanc scripturam, quae proxime accedat ad litteras traditas, retinendam esse censeo. de coniecturis, quas sat multas de hoc loco excogitaverunt viri docti, cf. ed. Schoell. app. crit.

[7]) Lambinus *cadat* scripsit, Reiz *cadet*, neutrum necessarium.

Digitized by Google

non diversi temporis neque diversae naturae sunt, immo illud, quo leno ad incitas redigitur, consistit in actione abducendi mulieres. eodem referendi sunt Trin. 371, Mil. 1243: ... *tu te uilem feceris, si te ultro largiere,* Trin. 279 sq., Capt. 968: *Si eris uerax, ex tuis rebus feceris meliusculas,*[1]) Adelph. 817 sqq.: ... *haec si uoles In animo uere cogitare, Demea, Et mi et tibi et illis dempseris molestiam.*[2]) haec sunt octoginta fere exempla, in quibus membra coincidentia condicionali particula *si* conectuntur. temporum autem modorumque in iis usum et quae alia respicienda dixi in enuntiatis coincidentibus, cum ex ordine, in quem singula exempla redegi, facillime intellegantur, nunc ne longus sim retractare omittam.

Sequatur particula quom:[3]) 1) actiones versantur in tempore praesenti: Cist. IIII 2, 24: *Sed memet moror, quom hoc ago secius,* Epid. 344: *Mihi cesso quom sto,* Men. 156, Merc. 468, Pseud. 1135 a, Amph. 753: *num tu quoque etiam insanis, quom id me interrogas?* Aul. 194, Capt. 371 sq., Most. 107, Pseud. 931, 1131, Capt. 615: *Aiacem hunc, quom uides, ipsum uides.* Men. 298, Pers. 207, 228, Pseud. 819 sq., Stich. 685, Trin. 342, Adelph. 96 sq., Andr. prol. 18 sq., Mil. 1070 sqq., Stich. 99 sq., Most. 719 sq., Poen. 589, Rud. 244 sq., Trin. 633, 634, Andr. 421 sq., Most. 588: *Beatus uero es nunc, quom clamas,* Pers. 349 sq., Poen. 914, Pseud. 208, Stich. 745, Adelph. 897[4]), Poen. 1203 sq.: Multa mulierum sunt uitia: *sed hoc e multis maxumumst, Quom sibi ... placent nimisque addunt operam, uti placeant uiris,*[5]) Mil. 820 sq.: *Sed quia consimilest, quom stertas, quasi sorbeas,* Pseud. 137. 2) duobus locis in membro

---

[1]) Praepositionem *ex,* quae deest in libris, Camerarius addidit; Schoell hunc versum ut ad corrigendam, quae est in v. 959, contractionem consutum delevit. at vereor ne erraverit; nam v. 968 sublato, quo Stalagmi verba, quae continentur versu proximo, spectent, perspicere nequeo. immo tum demum, si Hegio dixit Stalagmum, si vera diceret, malam suam condicionem meliorem esse redditurum, hic iure respondere potest: *Nugae istaec sunt; non me censes scire quid dignus siem?* (i. e.: satis scio, quid dignus sim, ut promissis tuis, quae vana esse dispicio, facile caream), neque offendere licet in eo, quod paulo ante (v. 959) eadem fere legitur sententia; immo Hegio admonitionem suam, qua perditum illum servum vera fateri iubet, optime repetit; nam vera Stalagmi verba summi momenti esse ad fabulam expediendam obiter etiam legenti perspicuum fit. quae cum ita sint, versum 968 retinendum esse arbitror.

[2]) Cf. Capt. 296. tales locos in coincidentes sententias recipere non dubitavi; nam in iis sane membro primario iudicium proponitur de actione secundaria. longe aliter res se habet omnibus iis locis, quos supra p. 91. adn. 3. attuli. de Rud. 1135: ... *si falsa dicam, frustra dixero,* quem locum, quia a disputatione nostra alienus videtur, consulto reliquimus, cf. Madvigium l. c. p. 469.

[3]) Cf. supra p. 54 sqq.

[4]) Cas. 232 pro *Sanus* (sum) *quom ted amo,* quae adhuc legebantur, cum Schoellio *Sanus . quam ted amo* scribendum videtur; cf. supra p. 90 adn. 3, p. 77.

[5]) Cf. Merc. 596 sq.: *id illi uitium maxumumst Quod nimis tardust* e. q. s.

Digitized by Google

primario et secundario imperfectum legitur: Epid. 138: *Desipiebam mentis, quom illa scripta mittebam tibi*;[1]) ibid. 420 sq. 3) utriusque membri verbum est temporis perfecti: Bacch. 159 sq.: *Compendium ... haud ... optabile fecisti, quom istanc nactu's inpudentiam*, ibid. 166 sq., 337 sq., Capt. 297 sq., 410 sqq., 500 sq., Men. 447 sq., 701 sq., Stich. 655 sq., Bacch. 677: *At quidem tute errasti, quom parum inmersti ampliter*, Capt. 452 sq., Cas. 841 sq.: *multa bona dedisti, huius quom copiam mihi dedisti*,[2]) Poen. 519, Phorm. prol. 31 sq. 4) futuri exacti sunt verba uno loco: Phorm. 265: *Vnum quom noris, omnis noris.*[3])

His LIIII enuntiatis temporali coniunctione *quom* conexis adiungantur enuntiata, quorum membra particula quia inter se consociantur. atque Luebbert,[4]) quem Schmalz[5]) secutus est, huic particulae talem inesse vim contendit, ut ea binae semper actiones, quae diversae indolis sint, coniungantur. at si exempla infra allata perlustrabimus, etiam hac particula binas actiones, quae idem significent vel idem significare dicantur a scriptore, inter se conecti posse cognoscemus ita, ut membro secundario res ipsa narretur, primario, quod eiusdem rei sit momentum, explicetur. apparet autem causalem particulae notionem tum mutari in vim explicativam nec idcirco, id quod Ussing[6]) et Langen[7]) etiam in huiusce generis enuntiatis nonnumquam fieri oportere contendunt, verbum quoddam dicendi vel putandi, ad quod enuntiatum causale referatur, mente suppleri necesse arbitror. veluti

---

[1]) Cur Luebbert hunc locum inter enuntiata temporalia (l. c. p. 69), Amph. 753, qui locus eiusdem generis est, inter explicativa receperit, intellegere nequeo.

[2]) DEDISTIKUIUSCUMCOPIAMMIKIDEDISTI exhibet A Studemundo auctore; Geppert codd. Langianos secutus altero loco pro *dedisti* scripsit *fecisti*, cf. Schoell. ed. app.

[3]) UNUMCUMNORIS A, L^2, quam scripturam Bentley et Dziatzko receperunt; contra Umpfenbach et Fleckeisen ceterorum librorum lectionem ‚unum cognoris' Donati quoque auctoritate traditam secuti sunt. eadem a Weningero (l. c. p. 95) defenditur, quod ‚paratactica structura concisae Demeae orationi magis conveniat', sed vix recte; nam eodem iure v. 267: *Quom illest hic praestost*, quae verba idem pronuntiat Demea, collato versu praecedente: *Hic in noxiast, ille ad dicendam causam adest* particulam. *quom* delere liceret, id quod ne Weningero quidem in mentem venit (cf. l. c. p. 110) paratacticam enim et hypotacticam orationis structuram ad eandem etiam sententiam exprimendam a poetis promiscue adhiberi exemplis a nobis allatis satis intellegitur. nec ideo quod Heaut. 487 illa inveniatur (cf. Dziatzkonis adn. crit. ad h. l.), eandem in versum de quo agimus intrudi licet: immo in apicibus COG particula *quom* male intellecta a librariis inesse mihi videtur, quam Bentleium rectissime restituisse censeo.

[4]) l. c. p. 97: Das Erstere (sc. Quom) bezeichnet eine Causalverknüpfung, in der Grund und Folge eigentlich in ihrem Gegenstand identisch sind ...; wogegen quia und später quod Ursache und Wirkung als heterogene getrennte Thatsachen in Beziehung setzen.

[5]) l. c. p. 511.

[6]) Comm. in Mil. 472 (Bx.), IIII 1, 255 coll. adn. in Amph. 795 (R), I 312.

[7]) l. c. p. 54 sqq.

Digitized by Google

cf. Most. 1132, ubi Theopropides Tranioni dicit: *Verbero, etiam inrides?* (sc. me) et hic respondet: *Quian me pro te ire ad cenam autumo?* hoc loco Langen contra Lorenzium[1]) verbum putandi, ad quod pertineat membrum causale, supplet idemque valere dicit de Pers. 850 sq. at hac explicatione minime opus esse existimo. enuntiato enim *quia ... autumo* non continetur causa, cur Theopropides se inrideri putet, sed causa ac potius explicatio ponitur ipsius actionis inridendi. nam actio inridendi consistit in eo, quod autumat; autumare igitur h. l. ex mente loquentis idem est quod inridere. haec habui, quae de vi ac notione particulae quia, cum actiones coincidentes conectit, praemonerem. iam aggrediamur omnia quae huc spectant exempla enumerare, ac primo quidem loco ea collocemus, 1) in quibus verba finita sunt temporis praesentis: Amph. 1034 Merc.: *Sacrufico ego tibi.* Amph.: *Qui?* Merc.: *Quia enim te macto infortunio* (hoc loco verbis *Quia ... infortunio* Mercurius, quod apparet ex pronomine interrogativo qui, explicationem adfert eorum, quae ante dixit: *Sacrufico ego tibi.* ex Mercurii ergo mente actio Amphitruonem mactandi infortunio idem valet atque actio sacrificandi), Merc. 611 sq. Char.: *Eutyche, capital facis.* Eu.: *Qui?* Char.: *Quia aequalem et sodalem liberum enicas,* Most. 1132, Pers. 850 sq., 228 Pae.: *Male operam locas.* Soph.: *Qui?* Pae.: *Quia enim nihil amas, quom ingratum amas,* ibid. 233, Poen. 880, ibid. 704 sq., Truc. 266 Ast.: *Quid tibi ego maldico?* Strat.: *Quia enim me truculentum nominas,*[2]) Epid. 551 sq., Most. 450 sq., Rud. 521 sq., 1115 sq. 2) uno loco actiones in tempore praeterito versantur: Mil. 471 sq. Pal.: *Edepol ne tu tibi malam rem repperisti ...* Sce.: *Quid iam?* Pal.: *Quia hanc attingere ausu's mulierem.* 3) neque saepius praesens historicum cum perfecto coniunctum inveni: Trin. 163 sqq. Call.: *Quid tibi ego dicam, qui illius sapientiam Et meam fidelitatem ... Paene ille ignauos funditus pessumdedit?* Meg.: *Quidum?* Call.: *Quia ... Aedis uenalis hasce inscribit litteris.*[3]) 4) perfectum et imperfectum leguntur Epid. 58 sqq. in Terenti fabulis huius usus nullum exemplum inveni. unum adicio locum, quo, si quidem Ambrosiani scriptura a Goetzio recepta genuina est, particula quod causali membra coincidentia coniunguntur: Epid. 607 sq.: *Male morigerus mist danista, quod a me argentum non petit Neque illam adducit.*[4])

Iam de sententiis coniunctione dum inter se cohaerentibus agamus. 1) actiones versantur in tempore praesenti: Trin. 255 sq.: *Fit*

[1]) Cf. Most.[2] adn. ad h. l.

[2]) NOMINAS recte A solus; ceteri exhibent *nomines*, cf. Pers. 207: *Quom* ut digna's dico, bene, non male loquor, Rud. 640: Bene ... tibi dico, *qui* ... precor.

[3]) inscripsit exhibent codices Nonii, qui p. 525, 20, vv. 166—168 adfert.

[4]) QUODME A, a inseruit Goetz; at cf. Ussing III 2, 286.

Digitized by Google

ipse, dum illis comis est, inops amator (duas has actiones non solum tempore, sed etiam re congruere toto orationis conexu intellegitur), Adelph. 899 sq.: *Occidunt me, dum nimis sanctas nuptias Student facere,*[1]) Phorm. 766 sq. 2) in membro primario perfectum, in secundario praesens legitur locis hisce: Cas. 462: ... *contriui diem, Dum asto aduocatus quoidam cognato meo* Rud. prol. 37 sq., Adelph. 868 sq., Andr. 822. 3) in utroque membro perfectum legitur: Amph. 637 sqq.: ... *quoi* (sc. mihi) *uoluptas Parumper datast, dum uiri mei fuit mi potestas uidendi Noctem unam modo,* Mil. 409: *Dum te fidelem facere ero uoluisti, absumptu's paene* (cf. Andr. 822), Hec. 461.

Transeamus ad ea enuntiata, quae particula temporali ubi coniunguntur: Aul. 184: *Non temerariumst, ubi dies blande appellat pauperem,*[2]) ibid. 197: *Vbi manum inicit benigne, ibi onerat aliquam zamiam,*[3]) Most. 273: *mulier recte olet, ubi nil olet,* Pers. 304, 614, Bacch. 960: *ubi tabellas ad senem detuli ibi occidi Troilum.*

ut tamquam particulam temporalem uno loco adhibitam animadvertimus: Bacch. 957 sq.: *Nam dudum primo ut dixeram nostro seni mendacium ... ibi signum ex arce iam abstuli.* hoc loco aeque atque in v. 960 actio secundaria cum primaria in unum cadit,[4]) neque tamen, id quod in v. 960 modo citato animadvertimus, pares extant temporum formae. unde quaeso hanc diversitatem explicabimus? H. Schubert[5]) plusquamperfectum *dixeram* ideo esse positum contendit, quod is qui loquitur tempus actionis dicendi eo tempore metiatur, cuius sequentia verba sunt: *iam duo restabant fata* (v. 959). at equidem hanc sententiam argutiorem quam veriorem duco; nam si plusquamperfectum *dixeram* propter tempus verbi *restabant* positum est, poetam verbum membri primarii (abstuli), quippe cuius actio cum altera et tempore et re congruat, non eodem tempore expressisse iure miremur oportet. hoc enim verbum non minus quam illud tum referendum esset ad verbum *restabant.* longe aliter I. Schneider iudicat,[6]) qui quidem hoc loco ‚perfecto rei eventum, qui praesenti tempore extet, intendi, plusquamperfecto autem ipsam actionem praeteritam significanter denotari' contendat, ut ‚plusquamperfectum infinitum quoddam tempus praeteritum significet, cum opponatur perfecto logico'. sed ne his quidem ar-

---

[1]) Cf. Pseud. 931: *Occidis me, quom istuc rogitas.* praeterea respicias Aul. 150 sqq.

[2]) Cf. ibid. 624.

[3]) *ubi ... ibi* idem valet quod *cum ... tum,* cf. Ussing comm. in Asin. 502 (506 R) I 398, Lorenzii adn. ad Most.[2] v. 109.

[4]) Cf. Luebberti l. c. p. 184.

[5]) ‚Zum Gebrauch der Temporalconiunctionen bei Plautus', progr. gymn. Lissensis 1881, p. 14 sq.

[6]) Cf. l. c. p. 31.

Digitized by Google

ugtiis quicquam lucrari nos existimo. unde enim illa notio ‚infiniti temporis praeteriti'? equidem qui Plautinum temporum usum recte perspexerit, eum concessurum arbitror, aeque ac nos in sermone cottidiano distinctione logica remota in eiusdem sententiae ambitu ad easdem etiam actiones vel eas, quae ad idem temporis spatium non possint non spectare, significandas haud raro diversa adhibere solemus tempora verborum, sic in Plauti comoediis perfectum et plusquamperfectum saepe nullo certo discrimine promiscue usurpari. hoc igitur loco ut multis aliis plusquamperfectum *dixerat* aoristi vice fungitur, eiusdem ergo temporis munus suscipit, cuius est verbum *abstuli*; nam hoc logici perfecti esse, quod Schneider putat, equidem mihi persuadere non possum. comparativa vis in particula *ut* inesse videtur Rud. 138: *Vt uerba praehibes, me periisse praedicas.* eodem fortasse referas Trin. 65 (cf. Ussing V 566 sq.); praeterea adde Heaut. 168 sq.

Particula quando membra coincidentia cohaerent Amph. 995: *recte facit, animo quando obsequitur suo.* Asin. 289, Eun. 447 sq.

Coniunctionem simul uno loco deprehendi: Phorm. 823: *Hic simul argentum repperit, cura sese expediuit.*

Neque saepius particula postquam coincidentes sententias inter se conexas inveni: Pseud. 1220: *Perdidisti* (sc. me), *postquam dixisti pedes.*[1])

De enuntiatis coincidentibus, quorum praedicata verbis finitis continentur, cum satis disseruisse nos arbitremur, quae de temporum in iis usu efficiantur, paucis iam comprehendamus. ac legem illam a Lattmanno et Muellero statutam, qua tempora in sententiis coincidentibus aequalia semper dicuntur, etiam in neglegentiore sermone cottidiano locis longe plurimis servari animadvertimus; nam in plus quingentis exemplis allatis XXXXV locis tempora discrepantia deprehendimus. saepissime autem tempus praesens et perfectum, rarissimo imperfectum et plusquamperfectum invenimus et membrorum ordinem in nonnullis enuntiatorum generibus certum esse vidimus. tum errores quosdam non solum de sententiarum coincidentium natura, sed etiam de Plautino dicendi usu iure nos refutasse arbitramur atque hac in re paululum contulisse nos existimamus ad comicorum rationem genusque loquendi recte intellegenda. quibus observationibus ad finem disputationis nostrae pervenisse nobis videmur; nam in ea exempla, in quibus verba primaria ex aliquo verbo pendent,[2]) quoniam eadem enuntiatorum genera, quae

[1]) Cur H. Schubert l. c. p. 6 perfectum *perdidisti* logicum, *dixisti* historicum dicat, equidem me intellegere nequire fateor; nam utrumque verbum eiusdem temporis dicendum est, propterea quod in actione membri temporalis actio primaria consistit.

[2]) Cf. a) Capt. 378 sq. Ty.: *Nunc ita conuenit inter me atque hunc . . .* Phil.: *Recte conuenisse sentio,* Epid. 484 sq., Poen. 1092. praeterea cf. Amph. 304 sq. coll.

adhuc pertractavi, recurrunt, nunc quidem — ne longus sim — accuratius inquirere omittam.

Pseud. 192 sq., Bacch. 156 sq., Cas. 505 sq., Men. 242 sq., Pseud. 322, Rud. 655 sq., Trin. 643 sq., Truc. 568 sq., Andr. 253 sqq., Hec. 343 sq., Phorm. 722 sq. b) Bacch. 485: *Nam ego illum perisse dico, quoi quidem periit pudor*, Amph. prol. 49, Bacch. 5 sq. coll. Stich 1—2b et ibid. 557 sq., Most. 916 sq., Pers. 65 sqq., Poen. 951, Stich. 13 sqq., Phorm. 423 sq., Hec. 343, 418 sq., Eun. 965, 1069 sq., Phorm. 246, 251. c) Amph. 675: *Magis nunc me meum officium facere, si huic eam aduorsum, arbitror*, Curc. 513 (cf. ibid. 514), Mil. 558 sqq., Pers. 554, Hec. 256 sq., Adelph. 594 sq. d) Bacch. 925 sqq.: *Atridae ... cluent fecisse facinus maxumum, Quom Priami patriam ... subegerunt*, Men. 668, Pseud. 683 sq., Phorm. prol. 9 sq. e) Aul. 418: *Istuc male factum arbitror, quia non latus fodi*, Most. 1078 sq. f) Poen. 884: (Quid est quod metuas) *Dum ero insidias paritem, ne me perduim* (quo loco de coincidentia sententiarum dubitari nequit; cf. verba quae subsequuntur), Heaut. 147 sq. g) Most. 255: *Vbi tu commoda's, capillum commodum esse credito.*

Digitized by Google

DE IMAGINIBUS

SIMILITUDINIBUSQUE,

QUAE IN CLAUDIANI CARMINIBUS INVENIUNTUR,

DISPUTAVIT

Karl
CAROLUS MUELLNER.

Digitized by Google

Digitized by Google

Non id meum esse puto, ut qui fructus redundent ex eiusmodi disputatione pluribus verbis exponam; nam cum iam satis multi viri docti, qui de similitudinibus a poetis graecis et latinis adhibitis scripserunt, eam rem illustraverint, ne rem actam agerem mihi verendum esset, si repeterem hoc loco ea, quae ab illis diligenter sane et copiose disputata sunt. quam ob rem id unum tantum in fronte huius opusculi ponam neminem adhuc imagines similitudinesque, quibus usus est Claudianus, enumerasse, singula eorum genera distinxisse, denique quid ipse in ea re praestitisset quidque ab aliis sumpsisset accuratius inquisivisse. tetigerunt hic illic eam rem W. Ribbeck, qui in Vergili editione ab O. Ribbeckio curata inter Vergili locos, quos imitatus est Claudianus, similitudines quoque quasdam commemoravit, A. Zingerle, qui in volumine primo libri, cui inscripsit: ‚Zu späteren lateinischen Dichtern' item quibus ex fontibus manavissent quaedam Claudiani imagines explicavit, denique St. Gramlewicz in dissertatione, quae inscribitur: ‚Quaestiones Claudianeae', Vratislaviae a. 1877 publici iuris facta, et M. Kulla in dissertatione, quae inscribitur ‚Quaestiones Statianae', Vratislaviae a. 1881 in lucem emissa. atque Gramlewicz id sibi proposuit, ut omnes priorum poetarum latinorum apud Claudianum imitationes congereret, quam collectionem deinde Ieep in Claudiani editionis volumine altero repetiit auctam atque emendatam, Kulla autem Statii locos, quos in usum suum convertit Claudianus, explicavit. sed horum virorum opera eam rem, quam ut tractarem mihi imposui, omnibus numeris absolutam esse ac perfectam nemo puto existimabit.

Simul ut qua ratione opus a me susceptum instituerim intellegatur, praemonebo me non solum imagines similitudinesque respexisse, sed etiam eas figuras, quae his similes sunt, veluti exempla, translationes, superlationes, atque totam rem ita disposuisse, ut primum agerem de similitudinibus a diis hominibusque depromptis, deinde de eis, quae ad animalia pertinent, postremo de comparationibus, quae ex rebus inanimatis petitae sunt, atque in singulis imaginibus examinandis, quid de fonte, ex quo fluxissent, statuendum esset, diligenter explorarem

Digitized by Google

Quibus expositis iam ordiamur ab imaginibus, quae ad deos universos eorumque cultum spectant. quod similitudinum genus frequentissimum apud Claudianum esse non mirabimur, si reputaverimus hunc poetam, doctrina Alexandrinorum imbutum et in scholis rhetorum eruditum, doctissimis eius aetatis adscribendum esse. minime vero mihi in animo est omnes Claudiani similitudines, quae ad deos heroesque pertinent, ad certos quosdam auctores referre. etenim cum veteres Graeci et Romani putarent deos deasque magnitudine atque pulchritudine corporum atque virtute animi superare homines, valde adamabant poetae claros homines cum diis componere. quam ob rem ingens fere in poetarum antiquorum carminibus extat eius modi comparationum numerus. apud Claudianum duo leguntur, quorum unum: *proxime dis consul* extat de cons. Stil. III 130, alterum, quod ad avem Phoenicem spectat, legitur de Phoen. av. 11: *par volucer superis*. de sensu, qui imagini priore loco positae subiciendus sit, dubitari nequit; notissima enim sunt illa Homerica: *θεῖος, θεοείκελος, ἀντίθεος, ἐπιείκελος ἀθανάτοισιν* aliaque his similia. Homerus autem apud posteriores poetas graecos ita valuit, ut non solum epici, sed etiam lyrici et tragici vel easdem vel simillimas imagines adhiberent. atque hos secuti sunt poetae latini, veluti Verg. Aen. I 589, Sen. Herc. Oet. 104.

Quibus imaginibus duae subiungantur, quarum fundamenta posuisse Homerum vix addubitari potest. Claudianus enim de bell. Gild. 307 sq. Theodosium de Stilichone sic disserentem facit:

venerabilis illi
ceu praesens numenque vocor.

Claudiani enim imago cum nonnullis Homeri X 393 sq. (*θ* 467), *ν*. 230 sq. ita congruit, ut imitatio manifesta esse videatur. similes autem, qui apud poetas latinos inveniuntur loci, velut Ovid. Fast. II 842, Am. III 11, 47, Sen. Herc. f. 1183 sqq., Sil. X 438 sq., XIII 623, Stat. Theb. X 361, non tam prope ad Claudiani verba accedunt. altera imago extat de VI. cons. Hon. in carmine, quod Gesnerus recte magnificentissimum esse iudicavit, ultimo, v. 654 sqq., ubi consulatus et aliorum et ipsius Honorii, qui antea fuerunt, multo inferiores esse dicuntur hoc sexto Honorii:

(hunc) ceu numen adorent.

quis, si hunc versum legerit, non statim meminerit Homeri, apud quem saepissime hanc imaginem deprehendere licet? velim conferas *E* 78 = *K* 33, *Λ* 58, *N* 218, *Π* 605, *ξ* 205: *θεὸς δ' ὣς τίετο δήμῳ* et I 155, 297 (*ε* 36, *τ* 280, *ψ* 339): *θεὸν ὣς — τιμήσουσι* (*τιμήσαντο*), quibus locis simillimos permultos invenies alios. cf. *I* 603, *M* 312, *X* 434, *η* 11, 71, *θ* 173, 453, *ο* 520, *χ* 348. Homeri vestigia manifesto presserunt Hes. Theog. 91, Apoll. II 758, 811, III 1123, Pind. Ol. VII. 77 sqq. idem

Digitized by Google

cadit in Aeschylum, Sophoclem, Euripidem, quorum locos huc pertinentes enumerare supersedeo, cum de hac re iam Rappold[1]) satis accurate disputaverit. Claudianus vero num ad solum Homerum in hac imagine conscribenda se applicuerit iure dubites, cum illud Homeri: *θεὸς δ'ὣς τίετο δήμῳ* etiam Vergilium, Ecl. I 6 sqq. et Ovidium Met. XIV 124, 128, Her. XV 228 sqq. ad conformandas similes imagines incitaverit. deinde si respicimus imaginem, de qua agimus, in clausula hexametri extare, qua versus sede elocutiones pulchrae et inprimis imagines positae auribus tamquam infixae manent, si quis semel eas tantum legerit, quam maxime veri simile est Claudianum locos, quos statim proferam, imitatum esse. Zingerle quidem II 92 nonnullos locos, quibus etiam addere potuit Ov. ex Pont. II 2, 109, collegit, quibus eandem clausulam *numen adorant* invenimus. sed hi ad Claudiani locum non prorsus quadrant, quippe quibus nulla contineatur imago. verum alii praesto sunt loci, qui ad eum, de quo agitur, proxime accedunt, dico Luc. VI 253 sq., ubi milites Scaevam gloriosissimam mortem obeuntem *velut ... numen ... adorant* et Sil. XVII 184: *effundunt lacrimas, dextramque ut numen adorant.* deinde apte comparari potest, quod apud Statium Ach. I 503 sq. legimus: *illum neglectis ... ductoribus omnes Belligerum ceu numen amant.* imitationis haud spernendum indicium in eo positum esse puto, quod hanc formulam *numen adorant* etiam alio loco, de Nupt. Hon. et Mar. 278, paulo immutatam invenimus.

Quibus absolutis iam progrediamur ad similitudines, quae ad singulos deos spectant. initium autem capiamus ab Iove. cuius generis similitudo, qua futura Honorii potestas illustratur, occurrit de IIII. cons. Hon. 197 sqq.:

> Talis ab Idaeis primaevus Iuppiter antris
> possessi stetit arce poli famulosque recepit
> natura tradente deos. lanugine nondum
> vernabant vultus, nec adhuc per colla fluebant
> moturae convexa comae. tum scindere nubes
> discebat fulmenque rudi torquere lacerto.

cuius comparationis nulla certa imitationis vestigia deprehendi possunt, quamquam fabula, quam apud Apoll. I 508 sqq. Orpheus canendo narrat, aliquatenus cum Claudiani versibus conferri potest. certiora autem imitationis indicia cognoscimus in verbis: *lanugine nondum Vernabant vultus*, quibus similia extant in Ol. et Prob. cons. 69 sq.: *ante genas dulces quam flos iuvenilis inumbret Oraque ridenti lanugine vestiat aetas.* qui versus significandae primae et florentissimae adulescentiae inser-

[1]) Die Gleichnisse bei Aesch. Soph. Eur. p. II, lib. schol. gymn. Klagenf. 1877, p. 29 sq.

Digitized by Google

vientes ad Homeri Od. λ 319 sq. etiam quod ad structuram attinet quam proxime accedunt. nihil vero impedit, quominus sumamus Claudiani menti praeter Homerum etiam Verg. Aen. VIII 160:

Tum mihi prima genas vestibat flore iuventas

obversatum esse. ut autem Vergilii locus, ad quem addas Aen. X 324 *flaventem prima lanugine malas*, ad Lucretii V 889 *iuventas ... molli vestit lanugine malas* exemplum conformatus est, ita Homeri versus supra commemoratos aperte expressit Apoll. III 518 sqq. locos denique, qui apud ceteros poetas latinos inveniuntur magis minusve e Vergilio dependentes, enumerare quam examinare malo, quippe qui cum Claudianeo minore cognationis vinculo coniuncti sint: Luc. X 135, Sil. II 319, VII 691, Stat. Theb. VIIII 703, Ach. I 163. iam de sequentibus quoque verbis breviter disputare liceat: *moturae convexa comae*, quibus conferas de Rapt. Pros. III 66: *dixit et horrendo concussit sidera motu.* fundamentum sine dubio est praeclara Iovis descriptio apud Homerum *A* 528 sqq., quam Cat. LXIIII 204 sqq. et Ovidium Met. I 179 sq. imitatos esse post alios Zingerle I 52 docuit. sed multi alii loci apud poetas latinos extant, quorum nonnullos, quos inveni, proferre non inutile esse censeo: Verg. Aen. VIIII 106, X 115, Hor. Carm. III 1, 8, Ovid. Met. II 849, Fast. II 489, Sen. Ag. 400 sqq., Stat. Theb. VII 3 sq., VIII 82 sq. — singularis deinde Claudiani imago inde profecta est, quod Theodosius de III. cons. Hon. 131 sq. cum Iove comparatur. tertia venustissime conscripta similitudo occurrit de cons. Stil. II 25 sqq., ubi clementia Stilichonis sic illustratur:

Iurgia contentus solo terrore coerces
aetherii patris exemplo, qui cuncta sonoro
concutiens tonitru Cyclopum spicula differt
in scopulos et monstra maris nostrique cruoris
parcus in Oetaeis exercet fulmina silvis.

cum fulmina usu tralaticio *Cyclopum spicula* vocentur, recte Gesnerus ad. h. l. contendit Claudianum fortasse memorem fuisse illius graphicae descriptionis apud Verg. Georg. IIII 170 sqq., quacum conferas etiam Apoll. I 730 sq., Ovid. Met. I 259. quod vero ad imaginem ipsam attinet, nullum quidem invenio exemplum, quod prorsus eadem ratione institutum sit, sed Claudiani menti notissimos Ovidii versus, qui leguntur Trist. II 33 sqq.:

Si quotiens peccant homines, sua fulmina mittat
Iuppiter, exiguo tempore inermis erit:
nunc ubi detonuit strepituque exterruit orbem,
purum discussis aëra reddit aquis,

fortasse obversatos esse facile tibi persuadebis, si totam Ovidiani loci

Digitized by Google

sententiam respexeris. Claudianus vero tertium Ovidii versum latius extendit et epico ornatu instruxit.

Singulares comparationes inde extiterunt apud Claudianum, quod de bell. Poll. 377 sqq. vultus Stilichonis parum laetus, sed aequo non tristior confertur cum Herculis et Iovis fronte. cuius imaginis exemplum apud nullum alium poetam inveni neque id mirandum est, cum tales ex historia fabulari depromptas similitudines suo ingenio debere possit Claudianus.

Prorsus idem dicendum est de duabus imaginibus ab Iove eiusque cultu depromptis, quarum una, de Manl. Theod. cons. praef. 11 sqq., exprimitur imperatori Honorio ad aestimandam magnitudinem imperii romani, quae senatu significetur, non opus esse aquilis, quibus Iuppiter ad explorandum medium orbem terrarum usus sit, altera, quae legitur de IIII. cons. Hon. 130 sqq. [cf. 135], patria Honorii clarior esse dicitur quam Iovis ipsius. restat, ut addam imaginem, quae ad Iovem tonantem pertinet, illa dissertationis parte me pertractaturum esse, qua in universum de tonitru agitur.

Luculentissimum eius imitationis generis exemplum, quo e descriptionibus, quae apud poetas aetate antecedentes inveniuntur, similitudines saepe ortas esse supra contendimus, praebet comparatio, quae extat de Rapt. Pros. II 179 sqq., ubi Pluto, qui Proserpinam rapturus e regionibus inferorum in terram ascendens rupes oppositas sceptro suo ferit, confertur cum Neptuno, qui tridente cursum in mare patefecit Peneo flumini:

> Sic, cum Thessaliam scopulis inclusa teneret
> Peneo stagnante palus et mersa negaret
> arva coli, trifida Neptunus cuspide montes
> impulit adversos. tunc forti saucius ictu
> dissiluit gelido vertex Ossaeus Olympo.
> carceribus laxantur aquae fractoque meatu
> redduntur fluviusque mari tellusque colonis.

cuius similitudinis omnes partes tam egregie congruunt cum Luc. VI 343 sqq., ut, licet his nulla contineatur similitudo, — describitur enim, quo modo Pharsalus orta sit — ad demonstrandam imitationem digitis intendere sufficiat:

> Hos inter montes media qui valle premuntur,
> perpetuis quondam latuere paludibus agri:
> flumina dum campi retinent, nec pervia Tempe
> dant aditus pelago, stagnumque implentibus undis
> crescere cursus erat. postquam discessit Olympo
> Herculea gravis Ossa manu, subitaeque ruinam
> sensit aquae Nereus, melius mansura sub undis,
> Emathis aequorei regnum Pharsalus Achillis
> eminet.

Digitized by Google

sed non deest locus, qui ad similitudinem ipsam Claudiano aptum imitationis exemplum praebere potuit. Seneca enim Herc. f. 283 sqq. Megaeram, Herculis uxorem, orantem facit Herculem, ut iam ab inferis revertatur:

> dirutis qualis iugis
> praeceps citato flumini quaerens iter
> quondam stetisti, scissa cum vasto impetu
> patuere Tempe; pectore impulsus tuo
> huc mons et illuc cessit et rupto aggere
> nova concurrit Thessalus torrens via:
> talis, parentes liberos patriam petens,
> erumpe rerum terminos . . .

non solum enim prorsus eadem res describitur, sed etiam simillima comparatione ex Peneo flumine primum in mare decurrente petita.

His expositis examinemus imagines, quarum materiam Apollo eiusque cultus praebuerunt poetae. ac primo loco ponamus imaginem, quae ab Apolline puero sumpta est, qui Pythonem arcu interfecit. quam rem ad depingendam artem adhibuit Claudianus, qua Honorius puer tela direxit, de IIII. cons. Hon. 537 sq.:

> Caeruleus tali prostratus Apolline Python
> implicuit fractis moritura volumina silvis.

simul aliam de Pythone depromptam similitudinem tractare liceat, cuius de auctore haud improbabiliter iudicari potest. in praefatione enim libri I. in Ruf. 1 sqq. homines diique celebrantes Apollinem, qui Pythonem necavit, similes esse dicuntur senatui Romano, quem Claudianus Rufino, altero Pythone, telis perempto ad gratulandum invitat. sed iam versus ipsos proferamus:

> Phoebeo domitus Python cum decidit arcu
> membraque Cirrhaeo fudit anhela iugo,
> qui spiris tegeret montes, hauriret hiatu
> flumina, sanguineis tangeret astra iubis:
> iam liber Parnasus erat nexuque soluto
> coeperat erecta surgere fronde nemus,
> concussaeque diu spatiosis tractibus orni
> securas ventis explicuere comas.
> et qui vipereo spumavit saepe veneno
> Cephisos nitidis purior ibat aquis.
> omnis Io Paean regio sonat, omnia Phoebum
> rura canunt, tripodas plenior aura rotat.
> auditoque procul musarum carmine dulci
> ad Themidis coeunt antra severa dei.
> nunc alio domini telis Pythone perempto
> convenit ad nostram sacra caterva lyram.

tertium, quod dicimus, comparationis in turba congratulantium constare apparet. quod Claudianus ex Callimacho, quem poetam Alexandrinum

Digitized by Google

sine dubio bene cognitum habebat poeta, sumpsisse videtur, cuius in hymno in Apoll. 97 sqq. exponitur, quo modo gratulatio ‚Io Paean' orta sit:

ἰὴ ἰή παιῆον ἀκούομεν, οὕνεκα τοῦτο
Δελφός τοι πρώτιστον ἐφύμνιον εὕρετο λαός,
ἧμος ἑκηβολίην χρυσέων ἐπεδείνυσο τόξων.
Πυθὼ τοι κατιόντι συνήντετο δαιμόνιος θήρ,
αἰνὸς ὄφις. τὸν μὲν σὺ κατήναρες, ἄλλον ἐπ' ἄλλῳ
βάλλων ὠκὺν οἰστόν. ἐπηύτησε δὲ λαὸς
‚ἰὴ ἰὴ παιῆον, ἶει βέλος, εὐθύ σε μήτηρ
γείνατ' ἀοσσητῆρα' · τὸ δ' ἐξέτι κεῖθεν ἀείδῃ.

quod vero Claudianus musas induxit, quarum cantum cum suo comparat, id nemini debere videtur. descriptionem denique inde a v. 1—10 haud sine ulla veritatis specie referemus ad Statium, qui Theb. I 562 sqq. Adrastum hanc fabulam sic narrantem facit:

Postquam caerulei sinuosa volumina monstri,
terrigenam Pythona, deus septem orbibus atris
amplexam Delphos squamisque annosa terentem
robora, Castaliis dum fontibus ore trisulco
fusus hiat nigro sitiens alimenta veneno,
perculit, absumptis numerosa in vulnera telis,
Cirrhaeique dedit centum per iugera campi
vix tandem explicitum . . .

nullum enim descriptionis Statianae membrum deest apud Claudianum, qui etiam, quod ad singulorum attinet verborum colorem, Statium expressisse putandus est. quae cum ita sint, Ovidii locum, Met. I 438 sqq., 459 sq., quo eadem fabula narratur, in examen vocemus haud necesse est, quippe qui ad Claudiani similitudines conscribendas non tantam vim quantam Statii exercuisse videatur.

Breviter perstringamus ceteras ad Apollinem spectantes imagines, cum in his nulla imitationis aperta vestigia deprehendi possint. in Fesc. enim de Nupt. Hon. Aug. I 8 Honorium pulchritudine superare Apollinem dicit poeta, qua in imagine usitatissima iam alii poetae graeci et romani praeierunt. conferas Apoll. I 307 sqq., cuius similitudinem Vergilius Aen. IIII 143 sqq. subtilius et ornatius depinxit, Apoll. III 1282, Prop. III 29, 5, Sen. Med. 86 sq., Stat. Ach. I 165 sq.

In paneg. de VI. cons. Hon. 411 sq. venustissima comparatione: *medium non deserit umquam Caeli Phoebus iter, radiis tamen omnia lustrat* Claudianus persuadere studet Honorio orbem terrarum ab imperatoribus Romae morantibus regi posse. deinde in eodem carmine v. 36 sq. praesentia Honorii *Palatino monti ita crescere reverentiam* dicit poeta, ut *potiora Delphis Supplicibus late populis oracula pandat.* cum talis imago a Phoebo petita, qui euncta audit cunctaque videt, ex ipsius Claudiani ingenio proficisci potuerit, similes locos, quos inveni,

Digitized by Google

breviter notabo: Lucr. V 111 sqq., Prop. III 14, 3, Stat. Theb. VIII 337 sq.

Pulcherrimum similitudinis exemplum extat de IIII. cons. Hon. 62 sqq., qua Theodosius, cum rem publicam summis in angustiis versatam servaverit, Soli confertur, qui, cum Phaethonte filio Iovis fulmine icto quadrigas ascendisset, veterem ordinem rerum restituit:

> velut ordine rupto
> cum procul insanae traherent Phaethonta quadrigae
> saeviretque dies terramque et stagna propinqui
> haurirent radii, solito cum murmure torvis
> Sol occurrit equis: qui postquam rursus eriles
> agnovere sonos, rediit meliore magistro
> machina concentusque poli currusque recepit
> imperium flammaeque modum.

obiter tantum hanc similitudinem inspiciens ad notissimam narrationem Ovidianam de Phaethonte, quae legitur in Met. II (cf. inprimis 167 sq., 202 sqq., 210 sqq., 398 sqq.), eam conformasse Claudianum suspiceris. at si accuratius Ovidium in examen vocaveris, non multum, quod Ovidio et Claudiano commune sit, invenies. manifestiora autem imitationis vestigia deprehendes, si alium locum inspexeris, quem cum imitatio aperta esse videatur, integrum exscribere iuvat, dico Lucr. V 396 sqq.:

> Ignis enim superat et lambens multa perussit,
> avia cum Phaethonta rapax vis Solis equorum
> aethere raptavit tota terrasque per omnis:
> at pater omnipotens ira tum percitus acri
> magnanimum Phaethonta repenti fulminis ictu
> deturbavit equis in terram, Solque cadenti
> obvius aeternam suscepit lampada mundi,
> disiectosque redegit equos iunxitque trementis,
> inde suum per iter recreavit cuncta gubernans.

videmus enim non solum singulas descriptionis partes Claudiani et Lucretii congruere, ad quem verborum consensum etiam referenda est vox illa: *machina poli* (cf. praeterea de Rapt. Pros. II 280 *machina rerum*, de cons. Stil. I 145), quae redolet Lucretianum V 96 *machina mundi*, sed etiam, quod premendum esse puto, versus 401 sqq. Lucretii *Solque cadenti ... gubernans* ad Claudiani similitudinem aptissime quadrare. ad Lucretium autem redire Ovidianam descriptionem scite contendit Zingerle I 20 sq. Claudianum denique ab Sid. Ap. VII 405 sqq. respectum vel potius exscriptum esse recte censuit Ieep vol. II, p. LXII.

Eandem fabulam de Phaethontis interitu adhibitam videmus ad illustrandum Alarici animum avidum, qui huic ut Phaethonti exitio fuit, de VI. cons. Hon. 191 sq.:

> Crede mihi, simili bacchatur crimine, quisquis
> aspirat Romae spoliis aut Solis habenis.

Digitized by Google

praecedit autem v. 186 sqq. haec sententia:

nec te meus improbe saltem
terruit exemplo Phaethon, qui fulmina praeceps
in nostris efflavit aquis, dum flammea caeli
flectere terrenis meditatur frena lacertis
mortalique diem sperat diffundere vultu?

cuius prior pars Horatium auctorem prodere videtur, qui haec notissima exhibet verba in Carm. IIII 11, 25: *terret ambustus Phaethon avaras spes.* quam sententiam Claudianus in suum convertit usum et amplificavit. apud ceteros autem poetas simile quid frustra quaesivi; nam Sen. Herc. Oet. 675 sqq. minus ad Claudiani locum accedit.

Restat, ut hanc imaginum seriem absolvamus similitudine, qua gaudium Deli et Lydiae incolarum Apolline et Baccho reducibus ortum adhibetur ad describendos laetos Romanorum animos Stilichone reverso, de Stil. cons. III 58 sqq. qua re simul ducimur ad ceteras, quas Claudianus de Baccho eiusque cultu deprompsit. atque splendidissimum imitationis exemplum se offert in comparatione, qua, quomodo Honorius in Ligurum regiones profectus celebratus sit, sic depingitur de IIII. cons. Honor. Aug. 606 sqq.:

Talis Erythraeis intextus nebrida gemmis
Liber agit currus et Caspia flectit eburnis
colla iugis; Satyri circum crinemque solutae
Maenades astringunt hederis victricibus Indos,
ebrius hostili velatur palmite Ganges.

cuius in similitudinis fonte detegendo quaestio bipartienda est. ad imaginem enim ipsam apte conferemus Ovidii quandam simili ratione institutam, quae legitur Am. I 2, 25 sqq., ubi Amor curru vehens comparatur cum Baccho, qui India devicta revertitur:

Inque dato curru, populo clamante Triumphum,
stabis et adiunctas arte movebis aves:
ducentur capti iuvenes captaeque puellae:
haec tibi magnificus pompa triumphus erit.
47 talis erat domita Bacchus Gangetica terra,
tu gravis alitibus, tigribus ille fuit.

imitationis autem Ovidii haud parvum argumentum ex eo ducitur, quod tota descriptio Claudianea expressa est ad alium locum Ovidii, Met. III 664 sqq.:

Impediunt hederae remos nexuque recurvo
serpunt et gravidis distinguunt vela corymbis.
ipse racemiferis frontem circumdatus uvis
pampineis agitat velatam frondibus hastam.
quem circa tigres simulacraque inania lyncum
pictarumque iacent fera corpora pantherarum.

quam penitus haec Ovidiana narratio de nautis Tyrrhenis Claudiani

menti infixa fuerit, ex eo perspicitur, quod versus modo commemoratos accurate respexit in similitudine quadam, qua ad depingendum Stilichonis reditum Bacchus ex India rediens inducitur. cum imitatio per se clamet, versus, qui extant de cons. Stil. III 362 sqq. statim proferamus:

> Aequora sic victor quotiens per rubra Lyaeus
> navigat, intorquet clavum Silenus et acres
> insudant tonsis Satyri taurinaque pulsu
> Baccharum Bromios invitant tympana remos.
> transtra ligant hederae, malum circumflua vestit
> pampinus, antennis illabitur ebria serpens
> perque mero madidos currunt saliuntque rudentes
> lynces et insolitae mirantur carbasa tigres.

denique, si extremos duos versus huius loci respicimus, simillimus occurrit in Stat. Theb. IV 652 sq., ad quem eo magis Claudianum praeter Ovidii descriptionem se applicuisse veri simile est, quod etiam hoc ut illo loco reditus Bacchi depingitur:

> Marcidus edomitis bellum referebat ab Haemo
> Liber . . . .
> et iam pampineos materna ad moenia currus
> promovet; effrenae dextra laevaque sequuntur
> lynces, et uda mero lambunt retinacula tigres.

quae cum ita sint, alios locos, qui aliqua ex parte et quod ad descriptionem ac comparationem ipsam attinet cum Claudiani imaginibus conferri possunt, breviter enumerare satis habeo: Verg. Aen. VI 804 sq., Hor. Carm. III 3, 13 sq., Sil. XVII 646 sqq., Sen. Oed. 424 sqq., 449—466 inprimis 455 sqq.

Breviter perstringamus tres, quae restant, imagines, quae, cum brevissimae sint, nulla fere imitationis statuendae indicia praebent. comparatur enim de nupt. Hon. Fesc. I 9 et de III. cons. Hon. 132 Honorius cum Libero; deinde de VI. cons. Hon. 562 sq. eiusdem imperatoris colla vocantur certatura Lyaeo. quamquam tales imagines tritae ac simplices fuerunt, tamen si complures earum apud binos poetas simili modo coniunctas invenimus, iam aliquatenus de imitatione cogitare possumus. totus Claudiani locus Fesc. 6 sqq. hic est:

> Te Leda mallet quam dare Castorem,
> victum fatetur Delos Apollinem,
> credit minorem Lydia Liberum.

easdem enim tres imagines ornatius depictas habes apud Sen. Med. 83 sqq., ubi chorus pulchritudinem Iasonis his laudat verbis:

> cedent Aesonio duci
> proles fulminis improbi,
> aptat qui iuga tigribus,
> nec non qui tripodas movet,

Digitized by Google

frater virginis asperae
cedet Castore cum suo
Pollux caestibus aptior.

His expositis iam transeamus ad similitudines, quae de Bacchi cultu Bacchisque depromptae sunt. sic de Rapt. Pros. II 67 sqq., Proserpina, Minerva, Diana, quas nymphae comitantur, laetis animis pratum petentes hac depinguntur similitudine:

quales referunt Baccho sollemnia nymphae
Maeoniae, quas Hermus alit, ripasque paternas
percurrunt auro madidae; laetatur in antro
amnis et undantem declinat prodigus urnam.

frequentissimus quidem imaginum usus apud veteres poetas, quos omnes Homerus praeiit (cf. X 460), inde profectus est, quod Baccharum furor ad illustrandam insaniam adhibetur. prorsus aliter autem comparatam esse similitudinem, de qua agimus, apparet. neque ullum in promptu habeo locum, qui omni ex parte ad hunc quadret, cum apud Claudianum hoc singulare sit, quod ad turbam virginum laetarum describendam Bacchae Libero trieterica referentes imaginis materiam praebuerunt. unus tantum praesto est locus, Stat. Theb. XII 790 sqq., qui cum Claudianeo aliquatenus conferri possit. Statius enim laetum concursum feminarum Theseo Thebas ingrediente ortum his illustrat verbis:

Femineus quatit astra fragor, matresque Pelasgae
decurrunt: quales Bacchea ad bella vocatae
Thyiades amentes . . .

quae Claudianus ita in suum convertisse videtur usum, ut tertium, quod dicimus, comparationis, quod apud utrumque poetam idem est, paulo subtilius depingeret.

Ad aliam similitudinem explicandam accedentes tot similes locos inveniemus, ut difficile sit Claudiani auctorem pro certo explorare. pulchre enim poeta in Eutr. II 522 sqq. haec canit:

Quales Aonio Thebas de monte reversae
Maenades infectis Pentheo sanguine thyrsis,
cum patuit venatus atrox matrique rotatum
conspexere caput, gressus caligine figunt
et rabiem desisse dolent.

ut enim Maenades Thebanae tum denique temporis, cum rabies desiit, infanda facta sua viderunt, sic cives Romanos, qui a partibus Stilichonis ad Rufinum desciverant, summis ab hostibus imminentibus periculis pressos scelerum suorum paenituit. notissima fuit haec fabula de nece Penthei: tractavit eam Euripides in Bacchis, 1282 sq., eandem narravit Ovidius Met. III 691 sqq. — et revera furorem illum Baccharum post reditum subito in luctum versum a poetis inde ab Aeschylo, Sept. 817 sqq., etiam ad conformandas similitudines adhibitum esse demon-

Digitized by Google

stratur his locis: Sen. Oed. 1004 sqq., Luc. VII 779 sq., Val. Flacc. I 263 sqq., Stat. Theb. III 188 sqq. ex omnibus autem, quos attuli, locis ille Lucani, quamquam brevissima eius est similitudo, quam maxime ad nostrum quadrat, cum apud utrumque poetam eadem res, paeniten scelerum admissorum, simili comparatione describatur. quod vero Claudianus paulo ornatius similitudinem conformavit, id de fabula, quali apud Euripidem vel Ovidium narratur, petiisse potest. ac manifestissimum Euripidis[1]) imitatorem Claudianum prodit imago, quae spectat ad Pentheum, quem, cum Bacchi religioni Boeotiam invadenti adversaretur, Bacchae dilacerasse feruntur, in Ruf. II 418 sq.:

> Sic mons Aonius rubuit, cum Penthea ferrent
> Maenades, aut subito mutatum Actaeona cornu
> traderet insanis Latonia visa Molossis.

imago quidem ipsa brevissima neque ullo epico ornatu instructa, cui simillima occurrit alia de cons. Stil. II 212 sq.: *militis ense Bacchati laniant Pentheo corpora* (Rufini) *ritu*, ad stabiliendam meam sententiam nullam habet vim. argumentum autem, quo nisus imitationem luculentissimam probaturus sum, positum est in versibus antecedentibus, quibus satis graphice depingitur, quo modo Rufinus a militibus dilaceratus sit. sunt enim hi versus in Ruf. II 407—415:

> Mox omnes laniant hastis artusque trementes
> dilacerant, uno tot corpore tela tepescunt,
> et non infecto puduit mucrone reverti.
> hi rabidos vultus et adhuc spirantia vellunt
> lumina; truncatos alii rapuere lacertos.
> amputat ille pedes, umerum quatit ille solutis
> nexibus; hic fracti reserat curvamina dorsi;
> hic iecur, hic cordis fibras, hic pandit anhelas
> pulmineas latebras,

ad quos, ut similitudo descriptionis Euripideae, quae extat in Bacch. 1125—1143, sponte appareat, locum Euripidis integrum adscribere mihi liceat:

> *λαβοῦσα δ' ὠλέναις ἀριστερὰν χέρα,*
> *πλευραῖσιν ἀντιβᾶσα τοῦ δυσδαίμονος*
> *ἀπεσπάραξεν ὦμον, οὐχ ὑπὸ σθένους,*
> *ἀλλ' ὁ θεὸς εὐμάρειαν ἐπεδίδου χεροῖν.*
> *Ἰνὼ δὲ ταὐτὶ θάτερ' ἐξειργάζετο*
> *ῥηγνῦσα σάρκας, Αὐτονόη τ' ὄχλος τε πᾶς*
> *ἐπεῖχε Βακχῶν · ἦν δὲ πᾶσ' ὁμοῦ βοή,*
> *ὁ μὲν στενάζων ὅσον ἐτύγχανεν πνέων,*
> *αἱ δ' ἠλάλαζον · ἔφερε δ' ἡ μὲν ὠλένην,*
> *ἡ δ' ἴχνος αὐταῖς ἀρβύλαις · γυμνοῦντο δὲ*

[1]) Claudianum tragicos poetas Graecorum diligenter legisse aperte testatur Eutr. I 291 sq.

Digitized by Google

πλευραὶ σπαραγμοῖς · πᾶσα δ' ἡματωμένη
χεῖρας διεσφαίριζε σάρκα Πενθέως.
κεῖται δὲ χωρὶς σῶμα, τὸ μὲν ὑπὸ στύφλοις
πέτραις, τὸ δ' ὕλης ἐν βαθυξύλῳ φόβῃ,
οὐ ῥᾴδιον ζήτημα. κρᾶτα δ' ἄθλιον,
ὅπερ λαβοῦσα τυγχάνει μήτηρ χεροῖν,
πήξασ' ἐπ' ἄκρον θύρσον . . .

denique, ut nihil desit, conferas ad ea, quae apud Euripidem sunt extrema, Claudiani versus 332 sqq.:

omni iam plebe redibis
altior et laeti manibus portabere vulgi.
has canit ambages; occulto fallitur ille
omine nec capitis sentit praesagia fixi.

at dicere possis etiam Ovidium Met. III 511 sqq. eandem fabulam exhibere, cuius recordatum Claudianum Rufini necem descripsisse. sane; at frustra quaeres apud Ovidium talem descriptionem, qualis versibus Claudiani continetur. nam Ovidii versus Met. III 522 sq., 712, 715 sq., 725 sqq., qui huc pertinent, minime tantam cum Claudianeis similitudinem prae se ferunt, quantam Euripidis supra commemorati. restat, ut breviter adnotem Theocritum Id. XXVI 20 sqq. et fortasse etiam Ovidium ad eundem fontem redire. Rufini autem necem altera quoque similitudine de morte Actaeonis sumpta depingit poeta. quam fabulam etsi Ovidius Met. III 138 sqq. narravit, tamen non Ovidium, sed Euripidem auctorem esse Claudianeae, quam iam adscripsimus, imaginis, inde haud improbabiliter concludes, quod in eadem Euripidis fabula, Bacch. 337 sqq. Cadmus Penthei monendi causa necem Actaeonis commemorat his versibus:

Ὁρᾷς τὸν Ἀκταίωνος ἄθλιον μόρον,
ὃν ὠμόσιτοι σκύλακες ἃς ἐθρέψατο
διεσπάσαντο.

Iam una tantum huius generis restat imago, quae coniuncta cum alia, quam hoc loco inserere iuvat, describendo inservit Mariae cubiculo de Nupt. Hon. et Mar. 215 sqq.: *qualem* (thalamum) *non Lydia dives Erexit Pelopi, nec quem struxere Lyaeo Indorum spoliis et opaco palmite Bacchae.* cuius generis exempla apud poetas, quos perlegi, non inveni.

Haud minor earum similitudinum numerus est, quae a Marte ductae sunt. ac primo loco explicemus imaginem brevissimam, qua Stilicho eiusque milites a Claudiano in Bell. Poll. 468 vocantur *vivida Martis imago.* iure iam saepe monuerunt grammatici, ne omnes similes vel etiam eosdem versuum exitus, qui apud binos poetas inveniuntur, ex imitatione poetae aetate antecedentis fluxisse putaremus. de vera enim imitatione tum demum cogitari potest, si ad similitudinem verborum

argumentum accedit, quod ex sensu loci petitum est. haud recte igitur Ieep praef. vol. II, p. 118 de hoc loco iudicasse putandus est. postquam enim Gramlewicz p. 23 recte ad Claudiani imaginem Ovid. Trist. V 7, 17 attulit, Ieep alium locum, Aen. VIII 557, conferri iussit, quem Claudianum ante oculos habuisse putat. at si accuratius hunc inspexeris, prorsus nihil illi cum eo, quem tractamus, commune esse videbis, nisi quod apud utrumque poetam versus in eandem vocem *imago* desinit. genetivum enim *Martis* non ut apud Claudianum statim sequitur *imago*, quod ad statuendam talem imitationem, quam rectius similitudinem fortuitam voces, quam maxime premendum est. sed etiam si hoc omittimus, sensus loci ab Ieepio comparati prorsus alius est quam qui huic loco inest. nam ‚maior Martis iam apparet imago' nihil aliud significat nisi: cogitatio Martis, id est belli imminentis, maior ac terribilior fit. qua de causa conferri etiam nequit Stat. Theb. XII 523 *duri Martis imago* et Ach. II 130 *feri Mavortis imago*. quid autem de his clausulis versuum, in quibus *imago* legitur, cogitandum sit, facile apparet ex sescentis exemplis, quae adferri possunt, quorumque permulta etiam ita inter se congruunt, ut hanc vocem genetivus cum adiectivo coniunctus antecedat. hac occasione oblata breviter animadvertam Ieepium p. 119 etiam falsum esse in statuenda alia imitatione, quae ad eandem formulam redit. composuit enim praef. de VI. cons. Hon. 21 *additur ecce fides, nec me mea lusit imago* cum Ovid. Met. III 463 *iste ego sum! sensi, nec me mea fallit imago!* si vero id respexisset, quod apud Claudianum statim sequitur: *irrita nec falsum somnia misit ebur* cum Zingerleio I 9 potius proferre debebat Hor. Carm. III 27, 39 sqq. quae cum ita sint, iam accuratius inquiramus in alterum locum, quem Gramlewicz respectum esse a Claudiano putat. contulit enim, ut iam diximus, Ovid. Trist. V 7, 17: *vox fera, trux vultus, verissima Martis imago*. atque hac in re cum Gramlewiczio faciendum est, cum non solum versus in eandem clausulam exeat, sed etiam apud utrumque poetam idem sit sensus. comparantur enim Stilicho eiusque milites et Getae cum Marte. accedit, quod illud *verissima* Ovidii tam infixum Claudiani menti fuisse videmus, ut hanc vocem bis poneret: *sed vera iuventus Verus ductor adest et vivida Martis imago*. restat, ut adiciamus huius simplicissimae ac brevissimae imaginis usum fluxisse ex Homero, cuius sollemne *ἀτάλαντος Ἄρηι* *B* 627 (cf. *B* 651 [*H* 166], *E* 576, *Λ* 295, *M* 130, *N* 295, 802, *X* 132, *Φ* 115 al.) posteri poetae et graeci et latini aut immutatum receperunt (cf. Sapph. fr. 91, 5, Pind. Isthm. VII 38, Apoll. II 1208 sq., III 1281 sq.) aut variaverunt, veluti Aesch. Choeph. 931, Eur. Phoen. 1128, Rhes. 386. ex poetis latinis unus Silius, quem Homeri studiosissimum aemulatorem esse constat, hanc formulam exprimere studuit his verbis XI 584: *par Gradivo*, quocum versu conferas XII 278 sq. huc

Digitized by Google

quoque referendi sunt duo loci Claudiani in Ruf. I 351: *et clipeis et mole pares* et de cons. Stil. II 276: *nec Marte minor.*

Altera similitudo inde profecta est, quod Claudianus de IIII. cons. Hon. 525 sq. Honorii, qui iam puer diligentissime ludum militarem exercebat, decorem hunc in modum ante oculos ponit:

> Sic cum Threicia primum sudaret in hasta,
> flumina laverunt puerum Rhodopeia Martem.

cui imagini simillima occurrit apud Val. Flacc. VII 644 sqq., ubi Iaso Marti se lavanti comparatur:

> Protinus in fluvium fumantibus evolat armis
> Aesonides, qualis Getico de pulvere Mavors
> intrat equis uritque gravem sudoribus Hebrum.

Claudianum autem respexisse Valerium inde colligo, quod apud nullum alium poetam eadem imago vel similis invenitur, neque soli casui tribui potest, quod apud utrumque poetam Mars flumine corpus abluens in comparatione inducitur.

Tertio loco recenseamus similitudinem, de cons. Stil. II 367 sqq., qua Claudianus ad illustrandum Stilichonis habitum Martem commemorat, qui triumphans urbem ingreditur clipeo deposito:

> talis ab Histro
> vel Scythico victor rediens Gradivus ab axe
> deposito mitis clipeo candentibus urbem
> ingreditur trabeatus equis.

ac de fonte huius imaginis nihil prorsus explorari potest: in descriptione, quae statim sequitur quaque Bellonam currum regentem atque *Metum Pavoremque*, Martis ministros, commemorat poeta — cf. quoque in Ruf. I 340 sqq., in Olybr. et Prob. cons. 77 sqq. — tritum epicorum usum secutus est, quorum communis fons est Homerus.[1]) cui similitudini apte subiungamus aliam, quam Claudianus Statio debere videtur. etenim in Olybr. et Prob. cons. 119 sq. Theodosius bello finito conquiescere dicitur:

> Qualis letifera populatus caede Gelonos
> procubat horrendus Getico Gradivus in Haemo.

simillimo enim modo Statius in Silv. IIII 2, 46 sq. Domitianum cum Marte comparat: *non aliter gelida Rhodopes in valle recumbit Dimissis Gradivus equis.* si vero Ieep p. 79 praeter Stat. Theb. XII 733 sq. etiam Verg. Aen. III 35, XII 331 contulit ad verborum structuram, aptius proferre debebat Stat. Theb. III 221: *Geticas populatus caedibus urbes.* hanc seriem similitudinum ad Martem spectantium absolvamus imagine,

[1]) Cf. Δ 439 sqq., *N* 298 sq., Hesiod. Theog. 933 sqq., Scut. Herc. 195 sq., Verg. Aen. XII 335 sqq., Val. Flacc. III 89, Sil. IIII 326 sq., 438 sqq., Stat. Theb. III 424 sq., VII 72 sq.

Digitized by Google

quae ducta est ex consuetudine Martis, ex qua bellis finitis animum carminibus delectat. Claudianus enim Praef. Ruf. II 17 sqq. Stilichonem hortatur, ut non solum rebus belli gerendis se det, sed etiam musis. quod ut Stilichoni magis persuadeat, haec addit verba:

> Fertur et indomitus tandem post proelia Mavors
> lassa per Odrysias fundere membra nives
> oblitusque sui posita clementior hasta
> Pieriis aures pacificare modis.

quae Martis consuetudo apud nullum poetam mihi occurrit nisi apud Pindarum, qui Pyth. I 10 sq. vim, quam cantus in Martem exercet, his describit verbis: *καὶ γὰρ βιατὰς Ἄρης, τραχεῖαν ἀνεὺθε λιπὼν ἐγχέων ἀκμάν, ἰαίνει καρδίαν κώματι.* sed obscuriora sunt imitationis vestigia, quam ut certum quid de fonte dici possit.

Transgredientibus ad similitudines, quae ad Aeolum pertinent, manifestissimum imitationis exemplum, quod iam Gramlewicz vidit, nobis occurrit in comparatione, quae legitur de Rapt. Pros. I 69 sqq. atrox enim Plutonis animus oratione, quam Lachesis habuit, fractus est

> ceu turbine rauco
> cum gravis armatur Boreas glacieque nivali
> hispidus et gelida concretus grandine pennas
> disrumpit pelagus, silvas camposque sonoro
> flamine rapturus: si forte adversus aenos
> Aeolus obiciat postes, vanescit inanis
> impetus et fractae redeunt in claustra procellae.

Aeoli fabula notissima est ex Homero *κ* 21 sq., ex quo epici latini suas hauserunt descriptiones, quarum Vergiliana Aen. I 52 sqq. est celeberrima. ea poetae aetate posteriores ad similes locos concinnandos similitudinesque instituendas incitati sunt. sic apud Statium Theb. X 245 sqq. Adrastus milites adhortatur, ne iniquo tempore impetum faciant; nec frustra eius verba dicta sunt; nam

> His tandem virtus iuvenum frenata quievit:
> non aliter moto quam si pater Aeolus antro
> portam iterum saxo premat imperiosus et omne
> claudat iter, iamiam sperantibus aequora ventis.

quae similitudo cum Claudianea sic congruit, ut imitatio luculentissima existat. atque eo magis poetae menti ea obversari potuit, quod etiam alio Statii loco, Theb. V 704 sqq. similis extat comparatio. quod autem hac in similitudine Neptunus ventos coercet, Statius Silium comitatur, apud quem VII 253 sqq. Fabius ut Adrastus apud Statium milites bellum poscentes placat. Aeolus vero non solum ventos frenat, sed etiam excitat. huius quoque modi similitudinem exhibet Claudianus, qui in Ruf. II 22 sqq. Rufinum barbararum gentium bellum moventem facit:

Digitized by Google

ventis veluti si frena resolvat
Aeolus, abrupto gentes sic obice fudit
laxavitque viam bellis et, ne qua maneret
immunis regio, cladem divisit in orbem
disposuitque nefas.

cui imagini prorsus respondet locus Sil. XII 184 sqq., ubi proelium circum valla Nolae ortum sic describitur:

Fertur acerba lues disiectis undique portis,
effusaeque ruunt inopino flumine turbae . . .
ut rupto terras invadunt carcere venti.

Aliud genus comparationum imaginumque iam minus frequens e deabus materiam duxit. quarum cum permultae ita comparatae sint, ut nullum fere certae imitationis vestigium prodant, satis habebo locos Claudiani aliorumque poetarum, qui similes praebent, breviter commemorare. atque ut incipiamus ab regina dearum, mentio fiat imaginis, qua Proba, mater Probini et Olybrii, non solum Pudicitiae, sed etiam Iunoni confertur Olybr. et Prob. cons. 194 sq.; cf. Prop. II 2, 6, Ovid. ex Pont. III 1, 117, (Sen.) Oct. 219 ib. 546. in Epith. de Nupt. Hon. et Mar. 174 sq. Nereides Mariam magis venerari dicuntur quam Amphitriten vel Thetin. simili modo in Olybr. et Prob. cons. 202 Proba Thetin superans fingitur; cf. (Sen.) Oct. 706 sq.; in carm. min. XLIIII in. soceri Honorii vestes et frena mittentes conferuntur Thetidi, quae Achilli non semper arma, sed *placidos etiam cinctus et mitia pacis Ornamenta dabat.* commemorationem clipei, quem Vulcanus Achilli Thetide rogante fabricatus est, galeae, Xanthi Baliique equorum ex Hom. Σ 470 sqq., 610 sqq., Π 149 fluxisse vix admonitione indiget. quod autem Claudianus Thetin vestes Achilli mittentem facit, ipse excogitasse videtur. deinde carm. min. XLII 3 mulier formosa quaedam vocatur *Veneris sortita figuram,* quae imago inde ab Hom. I 389, T 282 (Ω 699, ρ 37, τ 54, δ 14) usitatissima fuit.[1])

Sed mittamus has imagines, quae etiam hac aetate tritissimae sunt, ut apertiora imitationis vestigia detegamus in comparatione, qua ratio, quae intercedit inter ferrum et magnetem, describitur amore Veneris et Martis. legimus enim carm. min. XXX 44 sqq.:

Sic Venus horrificum belli compescere regem
et vultu mollire solet, cum sanguine praeceps
aestuat et tristes mucronibus aspirat iras,
sola feris occurrit equis solvitque tumorem
pectoris et blando praecordia temperat igni.
pax animo tranquilla datur pugnasque calentes
deserit et rutilas declinat in oscula cristas.

[1]) Cf. Hes. Scut. Herc. 8, Cat. LXI 16 sqq., Ovid. A. A. II 659, III 106, Her. XVII 69, ex Pont. III 1, 117, (Sen.) Oct. 545.

Digitized by Google

haec Claudiani similitudo originem duxisse quam maxime veri simile est ex praefatione carminis Lucretiani, in qua Venus oratur, ut Martis sedet animum ferocem. versus enim, quos imitatione expressit Claudianus, sunt hi, I 31 sqq.:

> Nam tu sola potes tranquilla pace iuvare
> mortalis, quoniam belli fera moenia Mavors
> armipotens regit, in gremium qui saepe tuum se
> reicit aeterno devictus vulnere amoris,
> atque ita suspiciens, tereti cervice reposta,
> pascit amore avidos, inhians in te, dea, visus,
> eque tuo pendet resupini spiritus ore.

vides ad amussim fere respondere hos versus Claudianeis. deinde ad stabiliendam hanc imitationem etiam hoc adferre non supervacaneum puto, quod Lucretius quoque VI 906 sqq. de magnête disputat, cuius carminis parte fortasse Claudianus ad carmen suum conscribendum excitatus est. si vero apud alios poetas et Graecorum et Romanorum similes locos circumspicies, nullos invenies. nam Statii versus Theb. III 262 sqq., 295 sqq. multo minus quam Lucretii conferri possunt.

Quibus similitudinibus recensitis iam transeamus ad eas explicandas, quae spectant ad Minervam. sic in Olybr. et Prob. cons. 84 Roma dea *assilit innuptae ritus imitata Minervae.* quae cum verba ad fontem explorandum nullum argumentum praebeant, versus in auxilium vocandi sunt, qui statim sequuntur:

> Nam neque caesariem crinali stringere cultu
> colla nec ornatu patitur mollire retorto
> dextrum nuda latus, niveos exserta lacertos.

ad extremum enim versum iam W. Ribbeckius contulit Verg. Aen. XI 649 *unum exserta latus pugnae, pharetrata Camilla.* deinde Claudianus simili modo de Rapt. Pros. II 30 sqq. Dianam describens:

> Bracchia nuda nitent, levibus proiecerat auris
> indociles errare comas arcuque remisso
> otia nervus agit; pendent post terga sagittae,
> crispatur gemino vestis Gortynia cinctu
> poplite fusa tenus . . .

memorem se praestat Verg. Aen. I 318 sqq., ubi habitus venatricis, quem Venus induerat, sic depingitur:

> Namque umeris de more habilem suspenderat arcum
> venatrix, dederatque comam diffundere ventis,
> nuda genu nodoque sinus collecta fluentis.

altero loco, de cons. Stil. II 275 sq. de eadem Roma dea legimus: *tetrica nec Pallade vultum Deterior.* pulchritudinem deinde Mariae Venus laudat his imaginibus, quae extant in Epith. de nupt. Hon. et Mar.

Digitized by Google

270: *Aurorae vincis digitos umerosque Dianae,* quarum primam ex sollemni illo Homerico *ῥοδοδάκτυλος Ἠώς* profectam esse in propatulo est.[1])

Totam hanc seriem imaginum atque similitudinum a diis deabusque petitarum absolvamus his quattuor: de IIII. cons. Hon. 570 sqq. Honorii processus consularis confertur pompae Memphiticae. singularis deinde similitudo inde orta est, quod de VI. cons. Hon. 324 sqq. Stilicho, qui Alaricum Romanorum signa timentem e finibus expulit, cum sacerdote comparatur, qui face lustrali membra corporis a daemone correpta purgat. duae denique restant imagines, quarum una in Ruf. II 448 monumenta, quae sibi exstruxit Rufinus, *non cedentia templis* vocantur. quae imago quamquam ex sermonis cottidiani usu petita esse potest, apte conferas Luc. X 111 sq., ubi regum Aegypti domus *templi instar* esse contenditur. altera imago, quae legitur de Phoen. ave 99: *nectare dulcior aura* eo explicatur, quod nectaris dulcedo sine dubio in proverbii consuetudinem abierat atque permultis poetis aptam depingendae suavitatis materiam suppeditavit.

His similitudinibus eae subiungendae sunt, quas Claudianus duxit ab heroibus aliisque viris vel feminis fabulosis. fabularum et Graecorum et Romanorum memorem se praestat Claudianus, cum in Olybr. et Prob. cons. 197 sq. Probam omnibus totius antiquitatis feminis anteponat:

> Talem nulla refert antiquis pagina libris,
> nec Latiae cecinere tubae nec Graeca vetustas.

huc quoque alia referenda est imago de cons. Stil. I 46, quo loco legimus staturam Stilichonis talem fuisse *qualem nec carmina fingunt Semideis.* cuius imaginis exempla similia apud alios poetas habes haec: Apoll. III 918 sq., Theocr. Id. XVI 80, Tib. III 4, 25 sq., Prop. I 4, 7 sq., 19, 13, Ovid. Am. II 4, 33, Sil. XV 275 sq., Stat. Silv. III 5, 44. deinde, ut ad singulas huius generis imagines progrediamur, frequenter Castorem et Pollucem comparando induxit Claudianus. sic tres similitudines petitae sunt ex eo, quod filios Ledae venerabantur Graeci tamquam nautarum patronos. quarum una Theodosii civibus pacem parantes comparantur cum Castore et Polluce subvenientibus nautis procella oppressis, de bell. Gild. 219 sqq.:

> Sic cum praecipites artem vicere procellae,
> assiduoque gemens undarum verbere nutat

---

[1]) Cf. praeterea Prop. IIII 24, 7, Ovid. Met. III 184 sq. prorsus autem nulla imitationis vestigia detegere mihi contigit in his imaginibus huc pertinentibus: Laud. Ser. 122 sqq., de Rapt. Pros. II 38 sq. (cf. Hom. δ 122, ζ 102 sqq., ρ 37 = τ 54, Verg. Aen. I 498 sqq., Prop. II 2. 6, Ovid. Met. I 695, Fast. VI 111 sq., (Senec.) Oct. 546, Stat. Theb. I 535 sq., II 236 sq.), in Olybr. et Prob. cons. 183 sqq. de Nupt. Hon. et Mar. 236 sq.

Digitized by Google

descensura ratis, caeca sub nocte vocati
naufraga Ledaei sustentant vela Lacones.

huius similitudinis fons esse videtur hymnus Hom. in Diosc. 6 sqq., quamquam similia apud alios etiam leguntur poetas, veluti Theocr. XXII 4 sqq. et Hor. Carm. I 12, 27 sqq., qui loci etsi sane magnam quidem similitudinem cum Claudiani comparatione prae se ferunt, tamen fortasse non tantam vim exercere potuerunt in Claudiani mentem quantam locus ille hymni splendidissimus. Horatium autem redire ad Theocritum notissimum est.[1]) imagines deinde Claudianeae simili ratione institutae extant in Ruf. I 275 sqq., ubi Stilicho sic praedicatur:

Te nobis trepidae sidus ceu dulce carinae
ostendere dei, geminis quae lassa procellis
tunditur et victo trahitur iam caeca magistro,

et in Eutr. II 507 sq.: *hoc tantis bellorum sidus in undis Sperant*, quae verba ad eundem Stilichonem pertinent. apte ad hanc brevissimam imaginem[2]) quadrat locus Lucani X 89 sq., quo Cleopatra Caesarem sic alloquitur: *tu gentibus aequum Sidus ades nostris.*

Claudianum descriptiones aliorum poetarum ita in usum suum convertisse, ut ex iis similitudines conformaret, iam vidimus. idem factum esse statuendum est in comparatione, qua Honorius et Arcadius cum patre Theodosio curru vehentes hunc in modum illustrantur de IIII. cons. Hon. 206 sqq.:

Haud aliter summo gemini cum patre Lacones
progenies Ledaea sedent: in utroque relucet
frater, utroque soror, simili chlamys effluit auro,
stellati pariter crines. iuvat ipse Tonantem
error et ambiguae placet ignorantia matri,
Eurotas proprios discernere nescit alumnos.

quodsi Claudianus Ledae filios eodem curru cum Iove vehentes fingit, id ipse excogitavit; imitatorem autem se praestat in verbis, quae statim sequuntur: *in utroque relucet ... alumnos*, quae iam Ieepius Gramlewiczium p. 97 secutus ad Stat. Theb. V 437 sqq. redire recte contendit:

ambiguo visus errore lacessunt
Oebalidae gemini; chlamys huic, chlamys ardet et illi,
ambo hastile gerunt, umeros exsertus uterque,
nudus uterque genas, simili coma fulgurat astro.

in describendis autem fratribus simillimis, quos ne parentes quidem discernere possunt, multi posteriores epici Vergilium (Aen. X 391 sq.) secuti sunt, veluti Luc. III 605 sq., Val. Fl. I 367, Sil. II 636 sqq., al. deinde Olybrius et Probinus I 240 comparantur cum alumnis Eurotae:

---

[1]) Cf. praeterea Carm. IIII 8, 31 sq. cum Theocr. XXII 17 sq.

[2]) Ad sententiam cf. Pind. Pyth. III 73 sqq.

Digitized by Google

en nova Ledaeis suboles fulgentior astris, quorum stellae fulgentes satis notae sunt ex Hor. Carm. I 3, 2, IIII 8, 31. restat, ut imaginem adferam, qua amor Theodosii et Serenae in Laud. Ser. 107 sq. sic depingitur: *nec clarior olim Mutua Ledaeos devinxit cura Lacones.* quamquam solum apud Ovidium Trist. IIII 5, 29 sq., ex Pont. I 7, 31 sq. similes leguntur imagines, concludi nequit Claudianum se ad hunc poetam applicuisse, cum amor Castoris et Pollucis sine dubio in proverbii consuetudinem abierit; cf. in Ruf. I 108.

Ad describendum iustum hominem aptam effigiem praebebant poetis iudices inferorum. ut igitur Euripides Cycl. 273 sq. Cyclopem facit dicentem: *ἔγωγε τῷδε* (Sileno) *τοῦ Ῥαδαμάνθυος πολλὰ πέποιθα καὶ δικαιότερον λέγω*, sic Claudianus in Ruf. I 114 sq. Minoa in imagine induxit: *sit licet ipse Numa gravior, sit denique Minos, Cedet et insidiis nostri flectetur alumni.*

Complures similitudines Claudianeae originem suam duxerunt ab Hercule eiusque factis. sic magnificentissima comparatione Stilicho, qui post mortem Theodosii rem publicam prudentissime rexit, confertur Herculi de cons. Stil. I 143 sqq.:

> sic Hercule quondam
> sustentante polum melius librata pependit
> machina, nec dubiis titubavit Signifer astris
> perpetuaque senex subductus mole parumper
> obstipuit proprii spectator ponderis Atlas.

ad quos versus similis Senecae locus, Herc. f. 70 sqq., adferri potest:

> subdidit mundo caput
> nec flexit umeros molis immensae labor
> meliusque collo sedit Herculeo polus.
> immota cervix sidera et caelum tulit.

nam duo extremi Senecae versus prope accedunt ad Claudiani *melius ... pependit*, quibuscum conferas de Rapt. Pros. II 47 *firmior Herculea mundus cervice pependit.* sed cum etiam Euripides in Herc. f. 403 sqq. huius rei mentionem faciat, imitatio non extra omnem dubitationem posita est. neque aliter res se habet in tribus aliis comparationibus, quae laudi Stilichonis illustrandae inserviunt. Bell. Poll. 438 sqq. enim Stilichonis virtus, quae bello Getico apparuit, quo feliciter finito multas gentes servatas esse Claudianus adfirmat, maior dicitur factis et Herculis, qui Admeti uxorem in vitam revocavit, et Dianae, cuius auxilio Hippolytus revixit, et Polyidi, qui Glaucum mortuum in vitam restituit. fabulam Alcestidis tractavit Euripides, cuius vv. huc pertinentes Alc. 851 sqq. 1139 sq. conferas cum Claud. Laud. Ser. 12 sq., Hippolyti mortem idem narravit in tragoedia et Vergilius in Aen. VII 765 sqq., ex quibus v. 769: *Paeoniis revocatum herbis et amore Dianae*

Digitized by Google

apte comparari potest cum Claud. v. 441: *non sine Circaeis Latonia reddidit herbis* et Seneca in Phaedra. eiusdem Stilichonis virtus, qui solus Rufino resistere ausus erat, sic praedicatur a poeta, ut in Ruf. I 283 sqq. huius viri facta Herculis laboribus anteponantur. quod ex poetis Graecorum et Romanorum solus Lucretius V 22 sqq. talem comparationem adhibuit, nondum sufficere concedo ad statuendam imitationem. sed hoc notandum est Lucretium in hac similitudine, quae gloriae Epicuri illustrandae causa excogitata est, hos tantum Herculis labores, excepto certamine Antaei, eodem ordine observato exhibere, quos Claudianus commemorat. quod non casui soli tribui posse puto. accedit, quod, ut Epicurus in Lucretiano carmine permultis locis praedicatur, sic a Claudiano Stilicho omnibus fere carminibus summis effertur laudibus. quae cum ita sint, non sine probabilitatis specie Claudiani comparationem ad Lucretium redire contendes. in transcursu tantum attingam praeter hanc similitudinem etiam aliam usurpasse poetam, vv. 262 sqq., quae spectat ad Perseum, qui Andromedam liberavit.

Pergentes in recensendis comparationibus, quae de Hercule depromptae sunt, singularem inde profectam esse videmus, quod poeta in praef. de Rapt. Pros. II 1 sqq. se ipsum, quem post longum otium a Florentino ad carmina describenda commotum esse dicit, similitudine sat late extensa ac magno ornatu instructa cum Orpheo confert, qui, cum cantum aliquamdiu intermisisset, Herculis gloria excitatus denuo canere coepit. quod Claudianus inde a v. 17 sqq. vim cantus descripsit, id non sine multis et praeclaris poetarum aetate antecedentium exemplis fecisse putandus est; cf. Eur. Alc. 579 sqq., Apoll. I 26 sqq., Hor. Carm. I 12, 7 sqq., Ovid. A. A. III 321 sq., Fast. II 84 sqq., Met. XI 1 sq., Sen. Herc. f. 572 sqq., Herc. Oet. 1036 sqq. quamquam hac in re certum quid statuere difficile est, tamen Senecae loci, quos attuli, ad Claudiani descriptionem quam maxime accedunt. huic apte adnecti potest imago, qua Stilicho *doctus prisca loquens* componitur cum Orpheo, cuius cantum ab iis, qui Stilichonem verba facientem audiunt, postponi dicit Claudianus. legitur autem haec imago de cons. Stil. II 170 sq., quocum loco similis de Manl. Theod. cons. 251 sq. conferendus est. quae similitudines cum tritissimae fuerint, (cf. inter alias has: Eur. Med. 543, Verg. ecl. IIII 55, VI 30, Hor. Carm. I 24, 13, Sil. III 620 sq.) nemo, opinor, de imitatione cogitabit. qua de causa probare non possum, quod Kulla p. 18 ad imaginem, quae sumpta de Amphione lyrae carminibus ad muros Thebarum saxa ducente huic, quam modo tractavimus, antecedit, Stat. Theb. II 454 sq. attulit. quis enim credat Claudianum, cum de cons. Stil. II 170 sq. hanc conformaret imaginem: *haud Amphiona quisquam Praeferat Aonios meditantem carmine muros* Statianorum versuum memorem fuisse, qui prorsus diversae sententiae

Digitized by Google

illustrandae inserviunt? eandem vero hexametri clausulam solam ad profitendam veram imitationem non sufficere in aperto est. restat, ut his ad Herculem spectantibus similitudinibus unam tantum subiungamus, qua singulari modo Honorius puer in armis se exercens similis dicitur Herculis de IIII. cons. Hon. 532 sqq.

Claudianum fabulam Argonautarum bene cognitam habuisse apparet e Bell. Poll vv. 1—35, quibus tres similitudines gloriam Stilichonis illustrantes continentur. deinde similis narratio virorum, qui draconum semine iacto in lucem prodierunt, aptam praebuerunt materiam Claudiano de cons. Stil. I 318 sqq. ad describendam celeritatem, qua Stilicho exercitus collegit. simili quoque modo milites cuniculis sub terra factis subito in arcem erumpentes cum Cadmeis fratribus componuntur de Rapt. Pros. II 166 sqq. nota autem est fabula ex Eur. Phoen. 657 sqq., Apoll. III 1177 sqq., Ovid. Met. III 106 sqq., Sen. Oed. 738 sqq., Luc. IIII 549 sqq.

Quibus expositis iam ad imagines recensendas accedamus, quae ad viros vel feminas pertinent, qui Troianis quae dicuntur fabulis commemorantur. ordiamur igitur ab imagine, qua scelus Gildonis, qui filios fratris sui occidit, caede in Thyestae fratris liberos commissa ab Atreo illustratur de bell. Gild. 399 sq.: *hoc facinus refugo damnavit sole Mycenas Avertitque diem.* qua in similitudine adhibenda comitatur Claudianus Ovidium, qui Ib. 427 sq. inimicum suum sic alloquitur: *atque aliquid facias, a vespere Solis ad ortus Cur externati rursus agantur equi* (cf. Ib. 543 sq.) et Senecam, qui Med. 28 sqq. simili modo perfidiam Iasonis depingit. fabulam totam tractavit Seneca in Thyeste. quam cum Claudianus ad conformandam comparationem, quae *ἀπὸ τοῦ ἀδυνάτου* vocatur, adhibuerit, ceteros locos huius generis, qui frequentissime in eius carminibus occurrunt, perlustrare liceat. ac primum hoc praemittendum est communem fontem harum comparationum fuisse Homerum *Λ* 234 sqq. Claudianus his imaginibus plerumque ita usus est, ut complures coacervaret. ut autem eluceat, quibus locis iam poetae aetate priores praeierint, singulis Claudiani comparationibus similes aliorum poetarum adscribam. sic legitur in Eutr. I 353: *prona petunt retro fluvii iuga;* cf. in Olybr. et Prob. cons. 169, de Bell. Poll. 56 sq.; adde Eur. Med. 410 sq., Verg. Aen. XI 405, I 607, Hor. Carm. I 29, 10 sqq.,[1]) Prop. III 7, 33, IIII 18, 6, Ovid. Met. XIII 324, ex Pont. IIII 5, 43, IIII 6, 45 sq., Her. V 28 sq., Trist. I 8, 1 sq., Sen. Med. 405, Phoen. 85 sq., Stat. Theb. VII 553. aliae huius generis comparationes sic institutae sunt, ut cervi vel alia animalia terrestria comparando inducantur

[1]) Claudiani loci unum fontem esse Horatium, si ceteros locos respicimus, cum Ieepio non contendam.

Digitized by Google

mutatis vivendi moribus. antiquissimum exemplum praebet Archilochus fr. 74, 4 sqq.; apud poetas latinos hos inveni locos: Verg. Ecl. I 59, V, 76, Hor. Carm. I 2, 11 sq., Epod. 16, 34, Epist. II 3, 30, Prop. II 3, 5 sq., Ovid. ex Pont. I 6, 51 sq. Claudiani comparationem, quae extat in Olybr. et Prob. cons. 169 sq.: *per flumina dammae Errabunt* iam Ieep l. c. p. 80 cum Gramlewiczio scite revocavit ad Verg. Ecl. I 59 et Hor. Carm. I 2, 11 sq. alia deinde, quae statim sequitur v. 170: *glacieque niger damnabitur Indus*, cui similis est carm. min. II. Epist. ad Olybr. 15: *candescet Geticis Meroe conversa pruinis* ad Senecam redire videtur, quem permultas alias quoque imagines Claudianeis simillimas exhibere paulo infra videbimus, Herc. Oet. 336 sq.: *Indos ante glacialis polus Scythasve tepida Phoebus inficiet rota.* multo minus enim quadrat Ovid. ex Pont. II 4, 27: *nec Babylon aestus nec frigora Pontus habebit.* manifestissimum imitationis exemplum deprehenditur in comparatione, quae Theodosii grato animo depingendo inservit. legimus enim in Olybr. et Prob. cons. 171 sqq.:

> Ante Thyesteis iterum conterrita mensis
> intercisa dies refugos vertetur in ortus,
> quam Probus a nostro possit discedere sensu.

loci autem Ovidiani, quos Claudianus ante oculos habuit, sunt hi: ex Pont. IIII 6, 47 sqq.:

> Utque Thyesteae redeant si tempora mensae,
> Solis ad Eoas currus agetur aquas,
> quam quisquam vestrum, qui me doluistis ademptum,
> arguat ingratum non meminisse sui,

alterum, quem Gramlewiczius p. 21 et Ieepius non attulerunt, legimus in Trist. I 8, 2: *conversis Solque recurret equis.* sequatur iam aliud huius comparationis exemplum inde profectum, quod avibus quibusdam certus color esse solet, quam rem Lucretius II 822 sqq. his versibus expressit:

> Conveniebat enim corvos quoque saepe volantis
> ex albis album pinnis iactare colorem,
> et nigris fieri nigro de semine cycnos.

qua disputatione Lucretii excitatus Ovidius, quem hunc poetam quam maxime imitatum esse post Zingerleium l. c. II p. 12 sqq. Washietl, De similitudinibus imaginibusque Ovidianis, Vind. 1883 p. 43 sqq. multis demonstravit argumentis, hos versus scripsit ex Pont. III 3, 95 sq.:

> Si dubitem, faveas quin his, o Maxime, dictis,
> Memnonio cycnos esse colore putem.

huic autem simillimam comparationem praebet Claudianus, qui in Eutr. I 348 sq. nuntium Eutropium consulem esse creatum tam incredibilem civibus Romanis fuisse narrat: *veluti nigrantibus alis Audiretur olor, corvus candore ligustri.* ad eandem rem depingendam poeta praeter

Digitized by Google

septem alias comparationes adhibuit hanc v. 353 sq.: *(iam) Gadibus ortum Armenii texere diem*, cui conferenda est alia similis in Epist. ad Olybr. carm. min. II 13 sq.: *excidimus tibi? lucem iam condet Hydaspes Et Tartesiaco Sol oriere vado.* qua in similitudine usurpanda iam praeierunt praeter Ovid. Ib. 38 sqq. Sen. Herc. Oet. 335 sq.: *ante ab occasu dies Nascetur;* cf. Phoen. 86 sq, Phaedr. 570 sqq., Thyest. 479 sq., Herc. f. 374, Sil. VII 477. addo aliam comparationem, quae ex sterilitate maris petita extat in Eutr. I 54 sq.: *iam frugibus aptum Aequor* (videbo). ad quam conferas praeter Ovid. Met. XIIII 37 sq. inprimis Sen. Thyest. 478 sq., Herc. Oet. 1582. iam priusquam ad aliud huius generis exemplum pertractandum accedamus, in medio ponamus Lucretii versum III 785: *queunt nec pisces vivere in arvis.* quod fieri aliqua ex parte posse venuste demonstrant Hor. Carm. I 2, 7 sqq. et Ovid. Met. I 296 (302 sq.) diluvium describentes. qua re poetae sic usi sunt, ut comparationes, quas *ἀπὸ τοῦ ἀδυνάτου* dicimus, effingerent, veluti Claud. in Eutr. I 355, Verg. Ecl. I 60, V 76, Hor. Art. poet. 29 sq., Prop. II 3, 5, III 7, 34, Ovid. ex Pont. I 6, 52, Sil. VII 476. quod ad fontem attinet, nihil pro certo adfirmare audeo, quamquam Claudiani: *assuetum silvis delphina* prope accedit ad Horatii: *delphinum silvis appingit*, quem locum Ieep attulit. pergentes in hoc comparationum genere recensendo aliquanto maiora imitationis indicia inveniemus de Bell. Poll. 58 sqq.:

> Eurus ab occasu, Zephyrus se promat ab Indis,
> Caucasiique iugis calido nigrantibus Austro
> Gaetulas aquilo glacie constringat harenas.

apte enim his versibus respondent Ovidii in Ib. v. 33 sq., ex Pont. IIII 12, 35. valde deinde amabat poeta illud Homeri Σ 489 *οἵη δ' ἄμμορός ἐστι λοετρῶν Ὠκεανοῖο* (ε 275, cf. Verg. Georg. I 246) ita ad conformandam comparationem adhibere, ut ursam mare tangentem fingeret. sic legimus Carm. min. II, Epist. ad Olybr. 16: *claraque se vetito proluet Ursa mari*, cf. de Rapt. Pros. II 189 sq. et Gigant. 11. cuius comparationis usum ex Seneca fluxisse facile mihi concedes, si hos locos mecum perlegeris: Med. 404 sq., Thyest. 476 sq., 867 sq., Oed. 281, 508, 1584 sq. hoc quoque ad stabiliendam sententiam meam accedit, quod talis comparatio apud nullum alium poetam praeter Senecam invenitur. comparationem deinde, quae extat de bell. Gild. 382 sq.: *decernet Honorius inde, Hinc Gildo? prius astra Chaos miscebit Averno*, quacum conferas de Rapt. Pros. I 116: *lucidus umbroso miscebitur axis Averno* poeta mutuatus esse videtur e Verg. Aen. XII 203 sqq.: *nec me vis ulla volentem Avertet, non, si tellurem effundat in undas Diluvio miscens caelumque in Tartara solvat*, qui ipse ante oculos habuit Lucr. III 842: *non si terra mari miscebitur et mare caelo.* comitantur autem

Digitized by Google

hos Hor. Epod. 5, 79 sq. et (Sen.) Oct. 222 sq. quos omnes Euripides fr. 688 praeiit. singulari modo illud Homeri *B* 488 sq.:

πληθὺν δ'οὐκ ἂν ἐγὼ μυθήσομαι οὐδ' ὀνομήνω,
οὐδ' εἴ μοι δέκα μὲν γλῶσσαι, δέκα δὲ στόματ' εἶεν,

quod aperte respexit in Olybr. et Prob. cons. 55 sqq., de VI. cons. Hon. 436 sq., hac superlatione expressit Claudianus de cons. Stil. I 10 sqq.:

equidem si carmen in unum
tantarum sperem cumulos advolvere rerum,
promptius imponam glaciali Pelion Ossae.

comparationem autem ipsam ab Statio didicisse videtur poeta, apud quem Silv. III 2, 64 sqq. hos legimus versus:

nec enim temeraria virtus
illa magis, summae gelidum quae Pelion Ossae
iunxit anhelantemque iugis bis pressit Olympum.

restat, ut has comparationes breviter enumerem, quae praeter eas, quas hucusque pertractavimus, inveniuntur et ab ipso poeta excogitatae esse videntur: in Eutr. I 352, ib. 356 sq., Epist. ad Olybr. 17 sqq.

Recensitis his comparationibus iam redeamus ad imagines atque similitudines, quae ad homines fabulosos pertinent. in conscribenda similitudine, qua Theodosius Honorium docens Chironi confertur diligentem Statii lectorem se praestat Claudianus de III. cons. Hon. Aug. 60 sqq.:

Non ocius hausit Achilles
semiferi praecepta senis, seu cuspidis artes,
sive lyrae cantus, medicas seu disceret herbas.

ad hanc similitudinem conformandam narratione Statii, quae est in Ach. II 154 sqq., quos versus iam Gramlewicz attulit, et Ach. I 116 sqq. de Achille a Chirone educato sine dubio Claudianus excitatus est. Statii autem fons Homerus putandus est, qui Achillem in Chironis antro medicinam discentem commemorat *A* 830 sqq. Claudianum etiam Ovidii locos respexisse haud improbabiliter ex eo concludi potest, quod in altera imagine de Achille puero sumpta apud utrumque poetam similis extat elocutio. dico Ovid. A. A. I 11 sqq. et Fast. V 385 sq., quibus locis Chironis Achillem musicam docentis mentio fit. elocutiones deinde similes, quas commemoravi, sunt: A. A. I 15 sq.:

Quas Hector sensurus erat poscente magistro
verberibus iussas praebuit ille manus,

et Fast. V 385 sq.:

Ille manus olim missuras Hectora leto
creditur in lyricis detinuisse modis,

quibus conferas Claudiani Epith. de Nupt. Hon. et Mar. 18 sq.:

Digitized by Google

Ducere fila manus et mox, quos horruit Ide,
Thessalicos roseo nectebat pollice crines.

similitudo autem, quae his versibus antecedit amorem Honorii et Mariae illustrans v. 16 sqq.:

Scyria sic tenerum virgo flammabat Achillem
fraudis adhuc expers bellatricesque docebat
ducere fila manus . . .

orta est e recordatione Statii Ach. I 580 sqq.:

Ipsa quoque[1]) et validos proferre modestius artus
et tenuare rudes attrito pollice lanas
demonstrat reficitque colus et perdita dura
pensa manu.

Ovidius denique tertiam similem elocutionem, quae ad Achillem fila ducere discentem spectat, in A. A. I 694 exhibet: *pensa quid in dextra, qua cadet Hector, habes?* ad quem fortasse etiam referendum est illud: *Scyria* puella; cf. Ovid. A. A. I 682.

Apertissima Homeri imitatio occurrit in Laud. Ser. 141 sqq., ubi Serena cum Nausicaa componitur:

Non talem Triviae confert laudator Homerus
Alcinoo genitam, quae dum per litora vestis
explicat et famulas exercet laeta choreis,
auratam iaculata pilam post naufraga somni
otia progressum foliis expavit Ulixen.

versu enim: *Non talem Triviae confert laudator Homerus* alludit Claudianus ad suavissimam Homeri similitudinem, ξ 102—109, quam Vergilius Aen. I 498 sqq. imitatus est. verba deinde, quae statim sequuntur, ex Homero fluxisse facile concedes, si huius poetae comparaveris versus 100 sqq., 115 sqq. non minus certe constat Claudianum in versibus 13 sqq. Deprec. ad Hadr. secutum esse Ovidium Trist. III 5, 37 sqq. et Claudiani totum carmen ad exemplum Nasonis scriptum esse iam Gramlewicz p. 18 recte contendit. qua de causa etiam in exemplis placatae irae enumerandis:

Manibus Hectoreis atrox ignovit Achilles,
ultrices furias matris placavit Orestes,
reddidit Alcides Priamo quae ceperat arces.
Pellaeum iuvenem regum flexere ruinae:
Darium famulis manibus doluisse peremptum
fertur et ingenti solatus fata sepulcro;
tradita captivo spatiosior India Poro,

Claudianum ad Ovidium redire vix negabis, qui haec dicit:

Maius apud Troiam forti quid habemus Achille?
Dardanii lacrimas non tulit ille senis.

---

[1]) Dicit Deïdamiam.

Digitized by Google

quae ducis Emathii fuerit clementia, Porus
Dareique docent funeris exsequiae.

deinde Ovidius etiam altero loco A. A. I 440 sqq. simillimam expressit sententiam. breviter denique attingendum esse puto iam ante Ovidium a Vergilio Aen. II 540 sqq. et Horatio Epod. XVII 6 (11 sqq.) Achillis precibus Priami commoti mentionem fieri. sed aperta Ovidii imitatio, quae in eodem carmine perspici potest, fugit Gramlewiczium, dico versus 45 sqq.:

Quae per te cecidit, per te fortuna resurgat.
sanus Achilleis remeavit Telephus herbis,
cuius pertulerat vires, et sensit in uno
letalem placidamque manum. medicina per hostem
contigit et pepulit, quos fecerat ipse, dolores.

narrationem enim de Telepho apud nullum alium poetam ad conformandum simile exemplum adhibitum inveni nisi apud Ovidium, apud quem tot loci simillima ratione instituti leguntur, veluti Am. II 9. 6 sqq., Rem. Am. 41 sqq., Trist. I 1, 99 sq., II 1, 9 sqq., V 2, 15 sq., ut dubitari nequeat, unde Claudiani versus petiti sint. minus certa fontis vestigia sese offerunt in imagine, quae legitur de nupt. Hon. Aug. Fesc. I 7, ubi Honorius Achillis pulchritudinem superare dicitur. quae comparatio minime ita trita ac pervulgata est, ut Claudianus hanc e vulgaris sermonis usu deprompsisse putandus sit. qua de causa poeta fortasse Statium respexit, qui in Silv. II, 6, 30 sq. Philetum, Flavii Ursi famulum, talem appellat, *qualem nec bella caventem Litore virgineo Thetis occultavit Achillem.* quibus convenit Claudiani versus *praefert Achilli te proprio Thetis.* Pyrrhus deinde, Achillis filius, aptam praebuit Claudiano effigiem, ut virtutem Honorii illustraret. locus autem, qui extat de IIII. cons. Hon. 366 sq., ad certum aliquem auctorem reduci nequit. contra apertissime Homeri memorem se praestat poeta de VI. cons. Hon. 470 sqq., ubi Stilichonis virtus, qui Honorio ab hostibus incluso subventurus impetum hostium mira fortitudine fregit, sic laudatur v. 479 sq.:

Diomedeis tantum praeclarior ausis
quantum lux tenebris manifestaque proelia furtis.

ne quis dubitet, quin Claudianus in commemorando Diomedis et Ulixis impetu ante oculos habuerit Homerum *K* 469—531, conferamus v. 474 sqq.:

perducit captos ad castra iugales,
quorum, si qua fides augentibus omnia Musis,
impetus excessit Zephyros candorque pruinas,

qui ad Rhesi equos spectant ut illud Homeri *K* 437:

λευκότεροι χιόνος, θεῖειν δ' ἀνέμοισον ὁμοῖοι.

Hucusque tractavimus imagines, quae ad ipsos heroes pertinent: iam ceteras percenseamus, quae ab aliis hominibus fabulis celebratis

depromptae sunt. de bell. Poll. 73 sqq. ad depingendum nimium furorem, cui semper deest prosper eventus, hoc exemplo usus est Claudianus:

> nec pervenere iuventae
> robur Aloidae. dum vellere Pelion Otus
> nititur, occubuit Phoebo moriensque Ephialtes
> in latus obliquam proiecit languidus Ossam.

quod ad argumentum fabulae attinet, conferas Hom. λ 310, 315 sqq., Verg. Georg. I 281 sqq., Hor. Carm. III 4, 49 sqq., Ovid. Met. I 151 sqq., Fast. V 39 sqq., quod ad sententias, duo simillimi inveniuntur loci, Pind. Pyth. VIII 15 sqq. et Apoll. I 480 sqq. iam quamquam apud Pindarum v. 15 similis sententia generalis antecedit atque apud Claudianum: *βία δὲ καὶ μεγάλαυχον ἔσφαλεν ἐν χρόνῳ* (cf. Claud. v. 72: *sed caret eventu nimius furor)*, tamen, cum Claudianus initio huius carminis studiosissime Argonautica se legisse testetur, animus magis inclinat ad credendum etiam hunc locum fluxisse ex Apollonii memoria, apud quem Idan superbe contra Iasonem atque deos locutum his increpat verbis Idmon:

> *σὺ δ' ἀτάσθαλα πάμπαν ἔειπας.*
> *τοῖα φάτις καὶ τοὺς πρὶν ἐπιφλύειν μακάρεσσιν*
> *υἷας Ἀλωιάδας, οἷς οὐδ' ὅσον ἰσοφαρίζεις*
> *ἠνορέην· ἔμπης δὲ θεοῖς ἐδάμησαν οἱστοῖς*
> *ἄμφω Λητοΐδαο, καὶ ἴφθιμοί περ ἐόντες.*

De Rapt. Pros. I 239 sqq. domus Cereris in Sicilia Proserpinae aedificata sic illustratur:

> nullum tanto sudore Pyracmon
> nec Steropes construxit opus; non talibus umquam
> spiravere notis animae nec flumine tanto
> incoctum maduit lassa cervire metallum.

Cyclopum opera sua exercentium saepius quidem mentio fit, veluti Apoll. I 730 sq., Verg. Aen. VIII 424 sq., 445 sqq., Stat. Silv. III 1, 130 sq. (cf. Claud. de III. cons. Hon. 193 sqq.); comparationes autem, quae ex his materiam duxerunt, solus praebet Statius in Silv. I 1, 3 sq. *Siculis an conformata caminis Effigies lassum Steropem Brontemque reliquit?* et Silv. IIII 6, 47 sqq.:

> Tale nec Idaeis quicquam Telchines in antris
> nec Siculus Brontes, nec qui polit arma deorum,
> Lemnius exigua potuisset ludere massa.

velim animum intendas quoque ad id, quod Claudiani similitudo aeque atque ea, quae extremo loco commemorata est, Statii tres habet partes, qua in partitione non spernendum imitationis argumentum inesse nemo negabit. acerbissime Claudianus in Eutrop. II 377 sqq. edacitatem Leonis hunc in modum describit: *quem vix Cyclopia solum Aequatura fames, quem non ieiuna Celaeno Vinceret.* quibus in comparationibus ad-

Digitized by Google

hibendis comites habet poeta Ovidium Met. XV 93, ubi homines edaces et carne vescentes *ritus Cyclopum referre* dicuntur, et Hor. Sat. II 2, 40 *Harpyiis gula digna rapacibus*; *ieiuna Celaeno* denique nota est e Val. Flacc. IIII 499 sq. duobus locis, in Ruf. I 329 sq., et de IIII. cons. Hon. 543 Centauris ad significandam celeritatem et artem equitandi usus est Claudianus, quae imago in ipsius poetae mente nata esse videtur. alia similitudine, quae extat de cons. Stil. I 303 sq. (cf. Hom. *A* 402 sqq., Verg. Aen. VI 287), exprimitur manus Briarei non sufficere ad conficienda negotia, quae Stilicho unus exsequitur. simili modo v. 309 sqq. centum oculi Argi (cf. Ovid. Met. I 624) ad illustrandam Stilichonis vigilantiam in comparatione inducuntur. quarum similitudinum usus sine dubio frequentissimus erat, ut etiam nostra aetate centum Argi oculi vim proverbii habent. qua de causa, etsi imagini extremo loco commemoratae apud solum Ovidium A. A. III 617 similis inveniatur, non pro certo de imitatione huius poetae cogitandum est. aliter res se habet in similitudinibus duabus, quibus demonstrare studet poeta poenam Abundantii, qui primus Eutropium, maculam atque ignominiam imperii romani, produxit, iustam fuisse, in Eutr. I 159 sqq.:

> Sic multos fluvio vates arente per annos,
> hospite qui caeso monuit placare Tonantem
> inventas primus Busiridis imbuit aras,
> et cecidit saevi, quod dixerat, hostia sacri:
> sic opifex tauri tormentorumque repertor,
> qui funesta novo fabricaverat aera dolori,
> primus inexpertum Siculo cogente tyranno
> sensit opus docuitque suum mugire iuvencum.

iam Gesnerus in adn. h. v., quod ad fabulam attinet, nos relegat ad Ovidium. sed procul omni dubitatione esse videtur Claudianum non solum Ovidianam narrationem in suum usum vertisse, sed etiam fere integrum totum Nasonis locum recepisse. quis enim negabit, si apud utrumque poetam eandem sententiam: nullam esse aequiorem legem *quam necis artifices arte perire sua* (cf. Ovid. A. A. I 645 sq., 655 sq., Claud. 157 sq.) iisdem exemplis eodem ordine servato expressam invenerit, Ovidium esse fontem loci Claudianei? sed iam adscribamus Ovidii versus A. A. I 647 sqq.:

> Dicitur Aegyptos caruisse iuvantibus arva
> imbribus atque annos sicca fuisse novem:
> cum Thrasius Busirin adit monstratque piari
> hospitis adfuso sanguine posse Iovem.
> ille Busiris ‚fies Iovis hostia primus'
> inquit ‚et Aegypto tu dabis hospes aquam',
> et Phalaris tauro violenti membra Perilli
> torruit: infelix imbuit auctor opus.

Claudianus eo magis ad exempla sua conscribenda ab Ovidio excitari

Digitized by Google

potuit, quod apud illum hanc rem saepius commemoratam invenit. conferas quaeso ex Pont. III 6, 41 sq., Ib. 395 sq., ib. 435 sqq., Trist. III 11, 39 sqq., 51 sqq., V 1, 53 sq. imaginem denique ex Perilli morte sumptam in brevius contractam habes Trist. V 12, 47 sq.:

Utque dedit iustas tauri fabricator aëni,
sic ego do poenas artibus ipse meis.

ex eadem fabula orta est imago, quae extat de bell. Poll. 186 sqq. dissolutam Gildonis consuetudinem vivendi illustrans:

Phalarium tormentaque flammae
profuit et Siculi mugitus ferre iuvenci,
quam tales audire choros.

cuius similitudinis simplicissimae usus sine dubio erat tritus; itaque duos locos, quos inveni similes, Hor. Ep. I 2, 59, Prop. III 20, 11 sqq. in auxilium vocare nolo. denique addam in Ruf. I 252 sqq., II 513 sqq. immania scelera Rufini depingi similitudinibus ab hominibus nefariis desumptis, quas, ut augeret atrocitatem scelerum, cumulavit poeta.[1])

Aliquanto certiora imitationis vestigia deprehendere mihi contigit in similitudine, qua gaudium Rufini domicilium suum a Megaera transformatum mirantis sic illustratur in Ruf. I 164 sqq.:

Inlecebris capitur nimiumque elatus avaro
pascitur aspectu. sic rex ad prima tumebat
Maeonius, pulchro cum verteret omnia tactu.
sed postquam riguisse dapes fulvamque revinctos
in glaciem vidit latices, tum munus acerbum
sensit et inviso votum damnavit in auro.

tres extremi versus, qui ad similitudinem ipsam gaudium Rufini describentem nihil momenti habent, ornandi causa additi sunt. habent autem excusationem suam, si sumimus poetam, cum hanc conformaret similitudinem, iam de posteriore Rufini condicione cogitasse, de qua in Ruf. II 134 sqq. haec dicit:

Quid nunc divitiae, quid fulvi vasta metalli
congeries, quid purpureis effulta columnis
atria prolataeve iuvant ad sidera moles?

quodsi ad fontem huius similitudinis explorandum nos convertimus, fortasse aliquis dixerit fabulam Midae notissimam fuisse et Claudianum hunc, de quo agimus, locum ex hoc omnibus poetis fonte communi, fabulis Graecorum et Romanorum, hausisse. quod sine dubio in multas imagines cadere iam compluribus huius disputationis locis contendi-

[1]) Enumerantur Sinis (Sen. Phaedr. 1169 sq.). Sciron, Phalaris (Ovid. Trist. III 11, 39, Stat. Theb. XII 156 sq.), Sulla, Diomedes famosus equis (Sen. Tro. 1108 sq., Luc. II 162 sq., Stat. Theb. XII 156), Busiris (Ovid. Trist. III 11, 39, Sen. Tro. 1106 sq., Stat. Theb. XII 155), Cinna, Spartacus, Salmoneus, Tantalus, Tityus. tres, qui ultimo loco positi sunt, commemorantur in Ruf. II 513 sq.

Digitized by Google

mus. si vero reputamus Claudianum etiam in aliis similitudinibus conscribendis narrationes et descriptiones, quas apud Ovidium invenit, aperte in comparationis usum convertisse, a veritatis specie non longe aberrabit, qui etiam hanc ex Ovidii venusta narratione, quae extat in Met. XI 85 sqq., ortam esse adfirmaverit.

Proserpinam eiusque comites cum Bacchis comparatas esse a Claudiano iam vidimus. huic similitudini antecedit de Rapt. Pros. II 62 sqq. altera, in qua adhibenda memorabilis imitationum apertarum series conspicitur. Vergilium enim, qui in Aen. XI 659 sqq. Camillam easque, quae cum illa erant, tales esse canit:

> Quales Threiciae cum flumina Thermodontis
> pulsant et pictis bellantur Amazones armis,
> seu circum Hippolyten, seu cum se Martia curru
> Penthesilea refert magnoque ululante tumultu
> feminea exsultant lunatis agmina peltis,

Silius respexit hunc in modum Asbyten illustrans II 73 sqq.:

> Quales Threiciae Rhodopen Pangaeaque lustrant
> saxosis nemora alta iugis cursuque fatigant
> Hebrum innupta manus,

cf. VIII 430 sqq. Claudiani denique comparatio haec est:

> Qualis Amazonidum peltis exsultat ademptis
> pulchra cohors, quotiens Arcton populata virago
> Hippolyte niveas ducit post proelia turmas,
> seu flavos stravere Getas, seu forte rigentem
> Thermodontiaca Tanaim fregere securi.

hos versus ad Vergilii locum referendos esse rectissime iam W. Ribbeckius docuit. nam consensus, qui est inter Silii et Claudiani similitudinem minor est quam quae inter Vergilii et Claudiani locos intercedit congruentia. accedit quod etiam altera extat Maronis imago Aen. XI 648 sq., cuius versum alterum *unum exserta latus pugnae, pharetrata Camilla* Claudianum expressisse imitando iam supra demonstravimus. quae cum ita sint, imagines simili modo institutas, quae apud ceteros poetas leguntur, enumerare quam recensere malo. dico Prop. IIII 13, 13 sq., Stat. Theb. V 144 sqq., Ach. I 758 sqq., Silv. I 6, 53 sqq. tres tantum similitudines, quae huc spectant, accuratius pertractabimus. quarum una extat de Rapt. Pros. III 386 sqq. Ceres enim Aetnae verticem petit faces inflammatura:

> Qualis pestiferas animare ad crimina taxos
> torva Megaera ruit, Cadmi seu moenia poscat,
> sive Thyesteis properet saevire Mycenis:
> dant tenebrae Manesque locum plantisque resultant
> Tartara ferratis, donec Phlegethontis in unda
> constitit et plenos excepit lampade fluctus.

Digitized by Google

cui loco alter simillimus invenitur in Ruf. I 118 sqq., qui pertinet ad eandem Megaeram:

> Illa ubi caeruleo vestes conexuit angue
> nodavitque adamante comam, Phlegethonta sonorum
> poscit et ambusto flagrantis ab aggere ripae
> ingentem piceo succendit gurgite pinum
> pigraque veloces per Tartara concutit alas.

Megaera, quae facem in flammiferis Phlegethontis undis quassat, praeter Sil. II 610 sq. apud Luc. I 572 sqq. occurrit. Lucani locus:

> ingens urbem cingebat Erinys,
> excutiens pronam flagranti vertice pinum
> stridentesque comas : Thebanam qualis Agaven
> impulit aut saevi contorsit tela Lycurgi
> Eumenis

apte cum Claudianeis comparari potest. nam imitationis haud spernendum indicium etiam in eo positum esse neminem fugiet, quod apud Claudianum et Lucanum similis se offert bipartitio: *Cadmi seu moenia poscat, Sive ... Mycenis : Thebanam qualis ... Lycurgi.* quod autem Ieep p. 142 putat propter similem elocutionem, quam Stat. Theb. IIII 56 sq. praebet: *Seu Thracum vertere*[1]) *domos, seu tecta Mycenis Impia Cadmeumve larem,* totam Claudiani imaginem ex Statio fluxisse, errare videtur, cum hoc loco Furiarum ardentes faces iactantium nullo verbo fiat mentio, qua re tertium, quod dicimus, comparationis Claudianeae continetur. quae cum ita sint, Ieepio id tantum concedendum est, Claudianum in eo, quod Megaeram Thebas aut Mycenas petentem fecit, Statium respicere potuisse, quamquam etiam apud Vergilium Aen. IIII 470 harum urbium fata coniuncta videmus.

Alteram imaginem de Furiis petitam, qua Luxuriam describit de cons. Stil. II 135 sq. Claudianus solus adhibuit. tertia legitur de bell. Poll. 342 sq., ubi narrat poeta multos milites *ceu Gorgone visa obriguisse gelu.* cuius simplicis comparationis exemplum nusquam apud poetas nisi apud Eurip. Orest. 1520 inveni, quo versu Phrygem gladii aspectum timentem Orestes sic alloquitur: *μὴ πέτρος γένῃ δέδοικας, ὥστε Γοργόν' εἰσιδών.*

His imaginibus similitudinibusque subiungamus eas, quarum materiam ex monstris fabulosis deprompsit Claudianus. sic ad depingendum Rufini animum ferocem atque crudelem his imaginibus utitur in Ruf. I 294 sqq.:

> Hoc neque Geryones triplex nec turbidus Orci
> ianitor aequabunt, nec si concurrat in unum
> vis Hydrae Scyllaeque fames et flamma Chimaerae.

[1]) Furias dicit.

Digitized by Google

in adhibendis comparationibus, quae ad Geryonem et Hydram spectant, Claudianum nullus alius praeivit poeta. Scylla autem iam ante Claudianum aptum ad illustrandam crudelitatem suppeditavit argumentum Aeschylo Ag. 1187, Euripidi Med. 1343, 1359, Catullo LX 2, LXIIII 156, Tibullo III 4, 89, Senecae Med. 408, Herc. Oet. 235, Chimaera vero Tibullo III 4, 86. quibus ex locis omnibus etsi proxime ad Claudianeum accedit Tibullianus, quippe quo etiam Cerberi v. 87 mentio fiat, et similis imaginum coacervatio contineatur, tamen hoc argumentum per se solum ad imitationem in tam brevibus atque pervulgatis imaginibus statuendam non sufficere libenter concedo. aliquanto certiora fontis vestigia occurrunt in imagine, quam de IIII. cons. Hon. 253 sq. legimus, ubi cupidinem insatiabilem sic indicat poeta: *satiataque rursus Exoritur caesaque redit pollentius Hydra.* duas enim inveni imagines, quae ad eandem Hydram pertinent. nam Horatius, ad quem propter imaginis structuram Claudiani redire puto similitudinem, Carm. IIII 4, 59 sqq. hoc dicit: *non hydra secto corpore firmior Vinci dolentem crevit in Herculem;* deinde Lucanus IIII 634 sq. Herculem robore Antaei, qui humo afflictus vires recuperavit, stupefactum esse narrat. Horatium quoque respexit poeta de cons. Stil. II 132 sqq., quo loco Luxuriam vocat

> praedulce malum, quae dedita semper
> corporis arbitriis hebetat caligine sensus
> membraque Circaeis effeminat acrius herbis.

ad hos versus enim haud improbabiliter conferes cum Gesnero Hor. Ep. I 2, 24 sq.: *quae*[1]) *si cum sociis stultus cupidusque bibisset, Sub domina meretrice fuisset turpis et excors,* cum hoc singulare sit apud utrumque poetam, quod Circaea gramina, quibus socios Ulixis in bestias mutatos esse Homerus $\varkappa$ 135 sqq. cecinit, ad voluptatem atque cupidinem referuntur. restat una, quae huc pertinet, imago, quam legimus de IIII. cons. Hon. 632 sqq.:

> partitis inde catervis
> in varios docto discurritur ordine gyros,
> quos neque semiviri Gortynia tecta iuvenci . .

cuius imaginis unum tantum extat exemplum apud Verg. Aen. V 588 sqq., qui versus elegantissime cursus implicationem significantes semel lecti non poterant non manere mentibus legentium infixi.

Iam pervenimus ad imagines similitudinesque, quae ad homines eorumque vitam et res pertinent. atque initium capiamus ab imagine brevissima, in qua usurpanda Claudianus aperte Silium imitatus est. describens enim de bell. Gild. 507 sqq. Sardiniam insulam haec dicit poeta:

---

[1]) Pocula Circae dicit.

Digitized by Google

Humanae specie plantae se magna figurat
insula, Sardiniam veteres dixere coloni.

prorsus eadem imagine Silius XII 355 sqq. utitur:

Insula, fluctisono circumvallata profundo,
castigatur aquis, compressaque gurgite terras
enormes cohibet nudae sub imagine plantae.
inde Ichnusa prius Graiis memorata colonis.

imitatio autem vel maxime eo stabilitur, quod singulae partes descriptionis Claudianeae prorsus respondent ei, quam apud Silium legimus. adscribamus igitur Claudiani versus huc pertinentes 509 sqq.:

Dives ager frugum, Poenos Italosve petenti
opportuna situ. quae pars vicinior Afris,
plana solo, ratibus clemens, quae respicit Arcton,
inmitis, scopulosa, procax subitisque sonora
flatibus. insanos infamat navita montes.
hinc hominum pecudumque lues, hinc pestifer aer
saevit et exclusis regnant Aquilonibus Austri.

his cum versibus velim conferas praeter iam citatos hos, qui statim apud Silium sequuntur:

Sed tristis caelo et multa vitiata palude,
qua videt Italiam, saxoso torrida dorso
exercet scopulis late freta pallidaque intus
arva coquit nimium Cancro fumantibus Austris
cetera propensae Cereris nutrita favore.

Breviter attingam Claudianum translationem, quae occurrit de VI. cons. Hon. 234: *vigilantia lumina regni*, quaque Stilicho celebratur, a Graecis didicisse. conferas enim Aesch. Pers. 169, 957, Eur. Phoen. 835, Pind. Ol. II 10, VI 16 al. non minus e graecis poetis Claudianus dependet in adhibenda imagine, quam hoc loco tractare iuvat. naturam mentis humanae mobilissimam atque celerrimam usurpavit poeta ad illustrandam vehementiam, qua Pluto equis vectus est. coniuncta autem ea imago cum altera extat de Rapt. Pros. II 200 sq.:

Quantum non iaculum Parthi, non impetus Austri,
non leve sollicitae mentis discurrit acumen.

apud Romanos talis imaginis usum frustra quaeres. quominus fontem detecturi ad locos quosdam refugiamus, quibus haec mentis indoles illustratur, velut Lucr. III 182 sq., 203 sq., 243 sq., Ovid. Trist. IIII 2, 59 — cf. Soph. Ant. 354 — impedimur manifestis Graecorum exemplis, quorum primus Homerus hac imagine celeritatem Iunonis volantis adumbravit *O* 80 sqq. altera brevissima huius generis imago extat *η* 36: *τῶν νέες ὠκεῖαι ὡς εἰ πτερὸν ἠὲ νόημα*, quam inde ab Homero saepius invenimus usurpatam: hymn. in Apoll. 186, ib. 448, Hesiod. Scut. Herc. 222, Theogn. 985. similitudinem Homeri priore loco com-

Digitized by Google

memoratam ornatius ac subtilius depinxit Apollonius II 543 sqq. quam maxime autem cum Claudiano consentit comparatio, quae hymn. in Merc. 43 sq. legitur:

> *ὡς δ' ὁπότ' ὠκὺ νόημα διὰ στέρνοιο περήσῃ*
> *ἀνέρος, ὅντε θαμειαὶ ἐπιστρωφῶσι μέριμναι.*

Claudianum enim illud: *ὠκὺ νόημα* verbis *mentis acumen*, *διὰ στέρνοιο περήσῃ* verbo *discurrit*, denique *ὅντε . . . μέριμναι* reddidisse his *sollicitae mentis* vix admonitione indiget.[1])

Venustissima est Claudiani praefatio ad carmen de VI. cons. Hon. Aug., qua se ipsum nocte carmina concinnantem his illustrat versibus, 3 sqq.:

> Venator defessa toro cum membra reponit,
> mens tamen ad silvas et sua lustra redit.
> iudicibus lites, aurigae somnia currus
> vanaque nocturnis meta cavetur equis.
> furto gaudet amans, permutat navita merces,
> et vigili elapsas quaerat avarus opes.
> blandaque largitur frustra sitientibus aegris
> irriguus gelido pocula fonte sopor.
> me quoque Musarum studium sub nocte silenti
> artibus assuetis sollicitare solet.

res quidem est notissima, quippe quam nemo non in se ipso expertus sit. versus autem, qui his modo citatis antecedunt:

> Omnia quae sensu volvuntur vota diurno,
> pectore sopito reddit amica quies,

singulae descriptionis partes, denique ea quae in hac digressione ultima sunt: *Me quoque...solet* cum loco elegantissimo Lucretiano IIII 962 sqq.[2]) ita conspirant, ut iure contendi possit Claudianum ante oculos habuisse Lucretium haec dicentem:

> Et quo quisque fere studio devinctus adhaeret
> aut quibus in rebus multum sumus ante morati
> atque in ea ratione fuit contenta magis mens,
> in somnis eadem plerumque videmur obire:
> causidici causas agere et componere leges,
> induperatores . . . .
> nautae contractum cum ventis degere bellum,
> nos agere hoc autem et naturam quaerere rerum
> semper et inventam patriis exponere chartis.

sufficerent haec ad imitationem certissimam statuendam. tamen conferas

---

[1]) Ad id quoque velim animum intendas hanc imaginem extare in carmine, quo agitur de raptu Proserpinae. quam studiose autem Claudianus hymnos Homericos et inprimis hymnum in Cer. legerit, luce clarius demonstratur his locis eius carminis: II 277 sqq., 294 sqq. collatis cum hymni in Cererem vv. 82 sqq., 363 sqq.

[2]) Cf. ad vv. 962—965 ib. vv. 984 sqq.

Digitized by Google

etiam versus 987 sqq., quibus de animalibus agitur. quos versus, ne longus sim, hoc loco non proponam. denique etiam sitiens, qui in somno potionem cupit, commemoratur duobus locis 1024 sqq., 1097 sqq. apud ceteros autem poetas latinos simile quid non inveni; e graecis Aeschylus tantum in Eum. 131 sq. et Theocritus Id. XXI 44 sq. hanc canis consuetudinem in imagine induxit. ceterum adnotandum est Claudianum in exemplis enumerandis magna arte usum esse Lucretiana ornantem, amplificantem, variantem.

Nihil certi adfirmari potest de imagine in Laud. Ser. 106 sq. (cf. v. 132), qua Theodosii amorem in Serenam depingens haec dicit poeta: *propius, quam si genuisset, amavit Defuncti fratris subolem.* res enim est tritissima. hoc tantum addam tales imagines saepe apud Homerum inveniri; cf. praeter alias (*Π* 192, *α* 308) hanc *I* 481: *καί με φίλησ', ὡς εἴτε πατὴρ ὃν παῖδα φιλήσῃ*, quam fortasse Claudianus adumbrare studuit.[1]) complures aliae ad rem familiarem pertinentes similitudines ita comparatae sunt, ut eas Claudianus ipse excogitasse videatur.[2])

Singularis imago inde orta est apud Claudianum, quod de Rapt. Pros. III 374 sqq. duae cupressi, quas Ceres ad faces conficiendas elegit, *germanis* similes vocavit. ad hanc imaginem conformandam poeta fortasse excitatus est exemplo Vergilii, qui Aen. VIIII 679 sqq. Bitian et Pandorum fratres adstare fingit:

> Quales aeriae liquentia flumina circum,
> sive Padi ripis, Athesim seu propter amoenum,
> consurgunt geminae quercus intonsaque caelo
> attollunt capita et sublimi vertice nutant.

cum hic locus etiam quod ad descriptionem et nonnullorum verborum consensum attinet, cum Claudianeo conspiret, integram imaginem illam adponere liceat, v. 370 sqq.:

> Tollebant geminae capita inviolata cupressus
> caespite vicino, quales non rupibus Idae
> miratur Simois, quales non divite ripa
> lambit Apollinei nemoris nutritor Orontes.
> germanas adeo credas; sic frondibus aequis
> extant et socio despectant vertice lucum.

Vergilium se applicuisse ad Hom. *M* 132 sqq. notum est. sed comparationem ab eo institutam aptius in examen vocabimus, quia apud eum duae — qui numerus premendus est — quercus in imagine inducuntur et Claudianus aeque ac Vergilius similitudinem Homeri ita latius depinxit, ut certum locum (Idam, Simoentem, Orontem) adiungeret.

---

[1]) Similes huc spectantes inveni has: Aesch. Sept. 767, Soph. El. 234, Eur. Ion 1363, Herc. f. 1401, Mosch. IIII 77 sq., Cat. LXXII 4 sq., Tib. III 4, 51, Sen. Med. 284.

[2]) Cf. de cons. Stil. II 70 sq., in Eutr. I 269 sqq., in Eutr. II praef. 23 sqq., 509 sqq., de bell. Poll. 366 sqq., de VI. cons. Hon. 523 sq., in Eutr. II 89 sqq., ib. 370 sqq.

Digitized by Google

Ceterae imagines partim simplices et pervulgatae sunt ita, ut etiam apud alios poetas similes inveniantur, velut de Rapt. Pros. III 40: *in dirae subito mores transire novercae* (cf. Hor. Epod. V 9, Sen. Phaedr. 1192, Herc. Oet. 271) et carm. min. XXXVII de crystallo, cui aqua inerat: *spectacula transit Regia* v. 1 sq. (cf. Eur. Ion 486 sq., Prop. I 14, 13, Ovid. Am. I 15, 33) partim apud solum Claudianum leguntur.[1])

In Ruf. II 376 sqq. similitudine, quae petita est a venatore saltus plagis saepiente, ratio describitur, qua Rufinus a militibus circumdatus est. cuius imaginis usus sine dubio ortus est ex sermone vulgari. huc quoque alia referenda est de bell. Poll. 475, ubi Alaricum Alpes transgressum dicit Claudianus *velut clausum laqueis.* quacum imagine apte quidem conferes Hom. *E* 487: *ὡς ἀψῖσι λίνον ἁλόντε πανάγρου*; minime tamen de imitatione cogitare possumus, cum tritum huius imaginis usum multi aliorum poetarum loci, quos enumerare supersedeo, prodant.

Iam accedamus ad comparationes, quae materiam duxerunt e vita pastoris, perlustrandas. veluti de Rapt. Pros. III 164 sqq. Ceres in Siciliam reversa Proserpinam raptam esse comperit:

> Desertosque toros et sicubi sederat olim,
> perlegit. attonitus stabulo ceu pastor inani,
> cui pecus aut rabies Poenorum inopina leonum
> aut populatrices infestavere catervae:
> serus at ille redit vastataque pascua lustrans
> non responsuros ciet imploratque iuvencos.

quam similitudinem iam Ieep rectissime ad Stat. Theb. III 41 sqq. revocavit, ubi Maeon unus ex iis, quos Eteocles emiserat, ut Tydeo insidias tenderent, salvus Thebas revertitur:

> Iratus fatis et tristis morte negata
> Haemonides; necdum ora patent, dubiusque notari
> signa dabat magnae longe manifesta ruinae
> planctuque et gemitu; lacrimas nam protinus omnes
> fuderat. haud aliter saltu devertitur orbus
> pastor ab agrestum nocturna strage luporum,
> cuius erile pecus silvis inopinus abegit
> imber et hibernae ventosa cacumina lunae.
> luce patent caedes; domino perferre recentes
> ipse timet casus haustaque informis harena
> questibus implet agros stabulique silentia magni
> odit et amissos longo ciet ordine tauros.

sed non immutatam recepit Claudianus hanc similitudinem. cum enim apud Statium tertium, quod vocamus, comparationis in eo positum

---

[1]) Cf. Epist. ad Ser. 37 sqq., Apon. 49, de cons. Stil. I 378 sqq., in Eutr. I 112, II 408 sqq., in Olybr. et Prob. cons. 49 sq.

Digitized by Google

sit, quod pastor *domino perferre recentes Ipse timet casus*, Claudianus attonitum et querentem pastorem comparando induxit. cum vero etiam hanc rem Statius tangat v. 51 sq., et praeterea nonnullae descriptionis partes ad amussim fere apud utrumque poetam congruant, imitatio manifesta est.

Huic comparationi statim aliam subiungamus, qua de VI. cons. Hon. 259 sqq. simili modo fletus ac preces Alarici depinguntur, qui milites suos frustra admonet, ne deficiant; nam

> Cernit abire manus : qualis Cybeleia quassans
> Hyblaeus procul aera senex revocare fugaces
> tinnitu conatur apes, quae sponte relictis
> descivere favis, sonituque exhaustus inani
> raptas mellis opes solitaeque oblita latebrae
> perfida deplorat vacuis examina ceris.

W. Ribbeck, quem Gramlewicz et Ieep secuti sunt, nos relegat ad Verg. Georg. IIII 64 sq. sed ex hoc loco, cui similis est Nasonis Fast. III 741 sqq., hoc tantum discere potuit Claudianus apes tinnitu revocari solere. quod autem ad ipsam similitudinem attinet, alium in promptu habeo locum, Luc. VIIII 284 sqq., quo Cato Cilices seditiosos placare studet. Catoni hoc prosperius cessisse quam Alarico hercle nihil momenti habet contra meam sententiam. sed iam adscribam Lucani versus:

> Haud aliter medio revocavit ab aequore puppes,
> quam simul effetas linquunt examina ceras,
> atque oblita favi non miscent nexibus alas,
> sed sibi quaeque volat, nec iam degustat amarum
> desidiosa thymum : tum si sonus increpat aeris,
> attonitae posuere fugam, studiumque laboris
> florigeri repetunt, et sparsi mellis amoeni
> gaudet in Hyblaeo securus gramine pastor
> divitias servasse casae: sic voce Catonis
> inculcata viris iusti patientia Martis.

ut de hac luculentissima imitatione, quae etiam perspicitur in multorum verborum congruentia, plura faciamus verba, haud necesse esse puto.

Minus certe res se habet in similitudine, quae extat in Eutrop. I 132 sqq., ubi Eutropius ab omnibus expulsus hunc in modum illustratur:

> Contemptu iam liber erat. sic pastor obesum
> lacte canem ferro religat pascitque revinctum,
> dum validus servare gregem vigilique rapaces
> latratu terrere lupos; cum tardior idem
> iam scabie laceras deiecit sordidus aures,
> solvit et exuto lucratur vincula collo.

similitudo ipsa Claudiani, qua canis scabiosus comparando inducitur, non nova est. neque enim dubitari potest, quin tales imagines in vita

cottidiana pervulgatae fuerint. apud poetas unum tantum huius generis exemplum inveni, Aesch. Choeph. 432 sq., ubi Electra se ipsam confert cum cane scabioso et detruso: *ἐγὼ δ' ἀπεστάτουν ἄτιμος, οὐδὲν ἀξία, μυχοῦ δ' ἄφερκτος πολυσινοῦς κυνὸς δίκαν.* singula autem imaginis lineamenta, si re vera hunc locum respexit, de suo addidisse Claudianus putandus est. extrema, quae huc spectat, imago apud solum Claudianum Eutrop. II 93 occurrit. narrat enim poeta Eutropium sorori curam palatii mandasse *ceu stabulum vacuamque domum.*

Quibus similitudinibus pertractatis ad aliud genus recensendum nos convertamus, quod frequentissimum est apud Graecos et Latinos. permultae enim comparationes etiam Claudiani originem suam duxerunt ex scientia rerum nauticarum. in his adhibendis magna arte usus est poeta, quae laus quam maxime eo quoque augetur, quod complures earum elegantissime conformatas de suo ingenio atque indole deprompsisse videtur. sed iam eas enumerabo: de IIII cons. Hon. 419 sqq., de Manl. Theod. cons. 42 sqq., de bell. Poll. 209 sq., de VI. cons. Hon. 132 sqq., Laud. Ser. 201 sqq., de Rapt. Pros. III 363 sqq. imitationis autem indicia habes in similitudine, quae spectat ad gubernatorem, qui navem ventis actam prudenter regit: Stilicho rem publicam summis in periculis versantem moderatur de cons. Stil. I 286 sqq.

> velut arbiter alni,
> nubilus Aegaeo quam turbine vexat Orion,
> exiguo clavi flexu declinat aquarum
> verbera, nunc recta nunc obliquante carina
> callidus et pelagi caelique obtitutur irae.

ex permultis imaginibus, quae apud veteres, inprimis Graecos, ad rem nauticam spectantes inveniuntur, nulla cum hac comparari potest. qua de causa iam per se probabile est Senecae simillimam comparationem, qua Hippolytus equos monstro marino perterritos gubernans illustratur in Phaedr. v. 1072 sqq., magnam vim in Claudianum exercuisse:

> At ille, qualis turbido rector mari
> ratem retentat, ne det obliquum latus,
> et arte fluctum fallit, haud aliter citos
> currus gubernat.

Claudianus hanc similitudinem imitatus nihil aliud de suo petivit, nisi quod singulas partes, velut *turbido mari* (cf. *nubilus ... Orion*) amplificavit. hoc quoque addas illud Senecae *arte fluctum fallit* proxime accedere ad v. 424 in imagine iam citata, de IIII. cons. Hon. 419 sqq., in qua gubernator filium docet *quo fluctus possint moderamine falli.*

Claudianum Silium non sine magno fructu legisse iam supra exemplo splendidissimo demonstravimus. sic quoque in Eutr. II 5 sq. ad

Digitized by Google

confirmandam suam opinionem providentia opus fuisse in creando Eutropio consule haec dicit:

> Cautior ante tamen violenta navita Caurum
> prospicit et tumidae subducit vela procellae.

ut imitationem luce clariorem inesse libenter mihi concedas, legas hos Silii vv. I 687 sqq., quibus providentissimus Fabii animus pulchre sic describitur:

> Ut saepe e celsa grandaevus puppe magister
> prospiciens signis venturum in carbasa Corum
> summo iam dudum substringit lintea malo.

qui versus eo magis Claudiani menti inhaerere potuerunt, quod etiam altero loco similem comparationem invenimus, II 289 sqq. quae cum ita sint, non necesse est refugiamus ad Aesch. Sept. 62 sq., cum cognatio, quae inter Silii et Claudiani locum intercedit, artissima sit.[1]) verum in alia comparatione recensenda quodam modo Aeschyli locus componi potest. monet enim Eteocles Sept. 190 sqq. chorum virginum, quae periculum rei publicae imminens votis deprecaturae ad deorum simulacra confugerant, opus esse factis:

> *ὁ ναύτης ἄρα μὴ'ς πρῷραν φυγὼν*
> *πρύμνηθεν ηὗρε μηχανὴν σωτηρίας,*
> *νεὼς καμούσης ποντίῳ ἐν κύματι;*

apud Claudianum, de bell. Poll. 269 sqq., Stilicho sic alloquitur cives:

> durate parumper,
> . . . et excussis muliebribus ore querelis
> fatorum toleremus onus. nil nautica prosunt
> turbatae lamenta rati, nec segnibus undae
> planctibus aut vanis mitescunt flamina votis.

alia, quae coniuncta cum simili de equorum rectore deprompta similitudine extat in Eutrop. II 423 sqq., depingitur, quo modo Eutropii et Leonis milites vagati sint per opacas silvas:

> Sic vacui rectoris equi, sic orba magistro
> fertur in abruptum casu nón sidere puppis.

ad alteram ad navem spectantem imaginem apte quadrat Stat. Theb. X 11 sqq., ubi de reliquiis exercituum contra Thebas profectorum haec legimus:

> sed dant solacia Thebis
> quattuor errantes Danaum sine praeside turmae:
> ceu mare per tumidum viduae moderantibus alni,
> quas deus et casus tempestatesque gubernant.

conferas praeterea Stat. Theb. VI 450 sqq. (428 sqq.). quod autem Clau-

[1]) Minus apte Ieep attulit Luc. VI 286 sqq.

Digitized by Google

dianus huic imagini alteram addidit, fortasse Ovidium respexit, qui Trist. I 4, 11 sqq. haec praebet:

> Navita, confessus gelidum pallore timorem,
> iam sequitur victus, nec regit arte ratem.
> utque parum validus non proficientia rector
> cervicis rigidae frena remittit equo,
> sic non quo voluit, sed quo rapit impetus undae
> aurigam video vela dedisse rati.

cf. quoque Am. II 9, 29 sqq.

Occasione oblata iam hoc loco explicemus imaginem brevissimam, quae legitur de cons. Stil. I 151 sq.: *nil inter geminas acies ceu libera frenis Ausa manus certans.* quae apte quidem conferri potest cum Verg. Georg. III 194 *ceu liber frenis*, sed cum res simplicissima sit, de imitatione non cogitabimus. singulari deinde modo Claudianus de IIII. cons. Hon. 224 sqq. sententiam quandam, quae apud veteres saepe occurrit, virtutem nisi cum divitiis coniunctam nihil valere,[1]) tribus imaginibus illustravit, de puppi remige orba, de lyra reticente, de arcu, qui non tenditur, desumptis. apud Romanos unum tantum inveni similem locum, qui cum eadem sententia imagine quadam adposita depingatur, aliquatenus comparari potest, dico Hor. Sat. II 5, 8; cf. Verg. Ecl. VII 42. breviter reliquas huc pertinentes imagines absolvamus, quarum uni, quae legitur in Eutr. II 312 sq.: *inque modum veli sinuatis flamine pennis Pulverulenta volat* (struthocamelus) apte conferri potest Mosch. I 129 sq., alteri rugosas Eutropii genas depingenti in Eutr. I 113: *nec vento sic vela tremunt* similis occurrit Luc. VIIII 799 sq. *nec tantos carbasa Coro Curvavere sinus.* sed cum res, quae imagini concinnandae materiam suppeditavit, notissima atque simplicissima sit, fieri non potest, ut inter locos citatos artius quoddam cognationis vinculum intercedere sumamus.

Perpaucae tantum similitudines apud Claudianum extant, quae petitae sunt e re militari. quae cum tritae ac minus venuste compositae indignae sint, quas in medio ponamus, eas enumerare placet quam brevissime: Gig. 49 sq., de Rapt. Pros. II 163 sqq., de cons. Stil. I 169, de VI. cons. Hon. 480, de Hystr. 22 (cf. Ovid. Met. VIII 286), de bell. Poll. 181, in Ruf. II 128 sq.

Omnes fere poetae ad adumbrandam celeritatis notionem carminibus inseruerunt imagines, quae ad tela spectant. cuius generis exempla etiam Claudianus exhibet, sed breviora neque ullis ornamentis instructa.

---

[1]) Hanc sententiam (cf. praeterea Laud. Ser. 34 sq.) inprimis apud Graecos expressam invenimus ac recte eam Eur. Phoen. 438 *πάλαι ὑμνηθέν* vocat. cf. Hom. ρ 322 sq., Theogn. 177 sq., 181 sq., 267 sqq., Alc. fr. 49, 2, fr. 92, Aesch. Pers. 165 sqq., Eur. El. 37 sq., Phoen. 439 sqq., Pind. Ol. II 58 sqq., Callim. I 95 sq. al.

Digitized by Google

quam ob rem et has breviter indicabimus similesque locos adscribemus, quos iam poetae aetate priores adhibuerunt. sic de Rapt. Pros. I 283 sq. Aethon, Plutonis equus, *sagitta Ocior* dicitur. quodsi Ieep contendit hanc imaginem ad fontem Vergilii redire, apud quem legimus Aen. V 242 et X 248 *illa Noto citius volucrique sagitta* et *ocior et iaculo et ventos aequante sagitta* valde dubitari potest, num idem versus exitus hac in re usitatissima ad eam rem statuendam sufficiat. nam alii quoque loci occurrunt simillimi, veluti Luc. I 230, Sil. XVI 482, Stat. Theb. VI 364. nihil aliud igitur pro certo adfirmemus nisi Claudianum hac in imagine conscribenda tritum poetarum usum secutum esse. ac velim conferas praeter locos iam citatos hos: Verg. Aen. XII 856 sqq., Hor. Carm. III 27, 6, Ovid. Met. VII 777, ib. X 588, Sen. Phoen. 428, Luc. VIIII 827, Sil. X 11 sq. XV 573, Stat. Theb. VI 596 sq., VII 339, VIIII 124 sq. apud Graecos duae tantum tales imagines extant, fr. trag. Graec. adesp. 458 N., Apoll. II 602, quem Vergilium Aen. V 242 imitatum esse ex eo facile concludimus, quod eadem imagine navis celeritas significatur. hasta deinde duabus imaginibus aptam comparandae vehementiae materiam suppeditavit, quarum una ad equos Plutonis pertinet, qui de Rapt. Pros. II 199 *torta ... ruunt pernicius hasta*, altera legitur in Eutr. II 174 sq., ubi Bellona Martis iussa peractura *nec ... praemissae stridorem segnius hastae consequitur*. simili modo illustratur Laelapis, canis velocissimi, celeritas ab Ovidio Met. VII 775. tela deinde in imagine induxit Stat. Theb. VI 406, ib. 546.

Quae huius generis imago reliqua est, extat de Rapt. Pros. II 200 et vehementiae Plutonis equorum adumbrandae inservit, quae comparatur cum *iaculo Parthi*. si vocem tantum *iaculum* spectamus, simile quid habemus apud Verg. Aen. X 248, ubi navis Aeneae, quae summa celeritate mare percurrit *ocior ... iaculo* vocatur. at si reputamus loco Claudianeo ad eandem rem depingendam iam antecedere v. 199 *tortaque ruunt pernicius hasta* veri simile est *iaculum* in hac, de qua agimus, imagine latiore sensu adhibitum sagittam significare. qua interpretatione accepta, quae etiam adposito *Parthi* commendatur, quippe quam gentem destinandi sagittas mire peritam fuisse constet, iam conferas: Verg. Aen. XII 856 sqq., Sen. Phoen. 428, Luc. I 230, Sil. X 11 sq., XV 573, Stat. Theb. VI 596 sq. imaginem, quae restat, ita institutam videmus, ut ensis per metaphoram, quam dicunt, pro morte usurpatus minus crudelitatis habere dicatur quam supplicii dilatio in Ruf. I 234 sqq.: *saevior ense Parcendi rabies*. eandem sententiam[1]) expressit Ovid. in Her. X 81 sq. iam seriem eiusmodi imaginum atque similitudinem ab-

[1]) Caveamus igitur, ne propter verborum tantum congruentiam alium locum, cuius sensus ab hoc valde abhorret, cum Claudianeo conferamus, dico Stat. Theb. VIII 689 *stricto num saevior . . . ense*.

Digitized by Google

solvamus imagine, quae ita comparata est, ut eam Claudianus solus adhibuisse videatur. narrat enim in Eutr. I 130 sq. Eutropium ex omnibus aedibus expulsum esse *ceu funus acerbum*, quae imago re ipsa ei se commendavit.

Tamquam epimetrum accedant duae similitudines, quae ad morbum spectant. aviditatem enim Rufini, qui primo singulos, deinde omnes fere cives romanos diripuit, sic describit Claudianus in Ruf. I 301 sqq.:

> Ac velut infecto morbus crudescere caelo
> incipiens primum pecudum depascitur artus,
> mox populos urbisque rapit ventisque perustis
> corruptos Stygiam pestem desudat in amnes.

comparationis ipsius usus apud Claudianum singularis est. argumentum autem non sibi debet poeta. nam si descriptionem pestilentiae Aegineticae, quae extat apud Ovidium in Met. l. VII perlegeris, non negabis Claudianum respexisse Ovidium. nullum enim fere verbum Claudiani ita comparatum est, ut non apte cum Ovidiano quodam componi possit. qua de causa iam adscribam locum Ovidianum (528 sq.):

> Principio caelum spissa caligine terras
> pressit et ignavos inclusit nubibus aestus.
> letiferis calidi spirarunt flatibus austri.
> constat et in fontes vitium venisse lacusque.
> strage canum primo volucrumque oviumque boumque,
> inque feris subiti deprensa potentia morbi.
> . . . vitiantur odoribus aurae.
> pervenit ad miseros damno graviore colonos
> pestis et in magnae dominatur moenibus urbis.

Ovidium autem ipsum redire ad Lucretium, qui inde a v. 1138 usque ad finem libri VI pestem Atticam describit, notum est. cuius descriptionis versus huc pertinentes 1097, 1155 sq., 1222, 1235 sq. multo minus quam Ovidii ad similitudinem nostram quadrant. commemoratione denique dignum est Homeri illud, *A* 50: *οὐρῆας μὲν πρῶτον ἐπῴχετο καὶ κύνας ἀργούς* omnibus fere locis, quibus similis res narratur, occurrere; cf. Lucr. VI 1222 (Verg. Georg. III 496), Ovid. Met. VII 536, Sen. Oed. 133, Sil. XIIII 594, Claud. l. c. 302. altera de morbo desumpta imago legitur de bell. Poll. 174 sq.: *morbi ritu per devia rerum Praecipites per clausa ruunt.*

Quibus expositis brevissime pertractemus comparationes ex singulis hominibus et gentibus eorumque rebus gestis, quae ad historiam pertinent, depromptas. doctrina et eruditio Claudiani iam apparuit in conformandis similitudinibus, quae e diis eorumque cultu petitae sunt. non minus vero in historia versatum fuisse poetam inde colligimus, quod comparationum et exemplorum numerus apud Claudianum

Digitized by Google

frequentior est quam apud ullum alium poetam. quarum comparationum cum complures simplices neque ullo fere orationis ornatu instructae et res ipsae notissimae sint, omnes pluribus verbis recensere supersedeo. nonnullis tamen adscribam uncis inclusos similes locos, quos etiam alii poetae praebent. perpaucae ad certos auctores revocari possunt. sic de graecis hominibus historia celebratis has deprompsit similitudines: de IIII. cons. Hon. 507 sqq., de Bell. Gild. 268 sq., de Manl. Theod. cons. 30 sqq., de IIII. cons. Hon. 374 sqq., in Eutr. I 90 sqq. multo maior autem est multitudo earum, quae de Romanis ductae sunt. sic futura potestas Honorii, quae apparuit ex stella die visa, his describitur verbis, quae extant de IIII. cons. Hon. 192 sqq.:

ventura potestas
claruit Ascanio, subita cum luce comarum
innocuus flagraret apex Phrygioque volutus
vertice fatalis redimiret tempora candor.
at tua caelestis illustrant omina flammae.

res notissima est e Verg. Aen. II 682 sqq.:

Ecce levis summo de vertice visus Iuli
fundere lumen apex tactuque innoxia mollis
lambere flamma comas et circum tempora pasci.

quem locum sine dubio respexit Silius, qui XVI 119 sqq. simile ostentum et praesagium his depingit verbis:

subitus rutilante comarum
vertice fulsit apex crispamque involvere visa est
mitis flamma comam.

iam quamquam singula Silii verba ad Claudianea non minus prope accedunt quam Vergilii, tamen, cum apud Vergilium et Claudianum de uno eodemque augurio in Ascanio viso agatur, maiorem probabilitatem habet, si cum Ieepio Claudiani locum ad Maronem ipsum, non ad eius imitatorem redire putamus. sed cum Ascanius non tam ex historia quam fabulis notus sit, iam accedamus ad enumerandas similitudines ad historiam pertinentes: de IIII. cons. Hon. 492 sq., in Ruf. I 114, de Bell. Gild. 254 sq., (cf. Ov. Trist. I 3, 73 sqq.), de VI. cons. Hon. 484 sqq., de Bell. Poll. 430 sqq. (cf. Prop. IIII 8, 31 sq., Sil. XVII 653), in Olybr. et Prob. cons. 147 sqq.

Paulo fusius agere iuvat de comparatione amplissima, quae continetur in praef.[1]) cons. Stil. III. Claudianus enim Stilichonem Scipioni, se ipsum Ennio confert. quod Ennium in comparatione induxit poeta,

[1]) Quod etiam in aliis Claudianeorum carminum praefationibus conspicimus; cf. praef. in Ruf. I, praef. de III. cons. Hon. Aug., praef. quae legebatur ante librum II. de Rapt. Pros.

Digitized by Google

ut demonstraret, quanta fuisset poetarum cura Scipioni, exemplo Ovidii A. A. III 405 sqq. fortasse excitatus est. hoc autem poeta sibi ipsi debet, quod Ennium Scipionem comitantem eiusque milites carminibus excitantem facit. ceterum ex hac tam ornata comparatione recte conclusit Luc. Mueller in libro, qui inscribitur: Quintus Ennius, Petrop. 1884 p. 274, penitus Claudiani menti infixam fuisse memoriam Ennii et inprimis Annalium.

Iam agamus de imaginibus et similitudinibus, quae e rebus gestis Romanorum [1]) Graecorum, aliarumque gentium ductae sunt, ita tamen, ut de tribus tantum plura verba faciamus. quarum prima de Nupt. Hon. Aug. Fesc. IIII 13 sqq. legitur:

> Quod flenti tuleris plus sapit osculum.
> dices o quotiens: hoc mihi dulcius
> quam flavos decies vincere Sarmatas.

de simili amoris lusu Prop. III 6, 22 sq. hos exhibet versus:

> Mecum habuit positum lenta puella caput.
> haec mihi devictis potior victoria Parthis.

cuius imaginis usus rarior est, quam primo obtutu opinari possis. nam praeter Propertii locum unum tantum huius generis exemplum inveni, Eur. Androm. 369: *τοῦτ' ἔσθ' ἑκάστῳ μεῖζον ἢ Τροίαν ἑλεῖν.* alteram similitudinem, quae etsi magis ad fabulas quam ad historiam pertinet, tamen cum, quod ad fontem attinet, artissime coniuncta sit cum tertia huc referenda, hoc loco pertractare iuvat. multitudini enim militum, qui cum Stilichone contra Gildonem profecti sunt, significandae inserviunt, quae de Bell. Gild. 482 sqq. legimus:

> quatitur Tyrrhena tumultu
> ora nec Alpheae capiunt navalia Pisae.
> sic Agamemnoniam vindex cum Graecia classem
> solveret, innumeris fervebat vocibus Aulis.

simillime Luc. III 286 sqq. Pompeianarum copiarum multitudinem sic describit:

---

[1]) Praeterea multis aliis flosculis ex scientia rerum romanarum delibatis carmina ornavit Claudianus locis, quibus comparationes non insunt; cf. in Ruf. I 200 sqq. (Hor. Carm. I 12, 39 sqq., Luc. I 168 sqq., X 151 sqq.), de IIII. cons. Hon. 412 sqq., de bello Gild. 270 sqq., in Eutrop. II 596 sqq. (Sil. VII 555 sq.), de cons. Stil. III 30 sqq., de bello Poll. 124 sqq., 138 sqq. bella, quae contra Carthaginienses gesserunt Romani (cf. de cons. Stil. III 141 sqq.), praecipue bellum Punicum secundum saepius cum Stilichonis rebus gestis conferuntur. sic comparatio, quae ad Ennium spectat, his finitur versibus, praef. cons. Stil. III 21 sq. *noster Scipiades Stilicho, quo concidit alter Hannibal, antiquo saevior Hannibale.*

Digitized by Google

> Non cum . . . fraterni . . . ultor amoris
> aequora cum tantis percussis classibus, unum
> tot reges habuere ducem. coiere nec umquam
> tam variae cultu gentes, tam dissona vulgi.

sed, ne forte contradicas multitudinem navium Graecorum contra Troianos profectarum notissimam fuisse (cf. Eur. Iph. Aul. 299 sqq., Iph. Taur. 10 sqq., Stat. Ach. I 34 sq. multosque alios locos, quos omnes Homerus praeivit), tertiam similitudinem adferam, quae extat in Ruf. II 120 sqq.:

> Haud aliter Xerxem toto simul orbe secutus
> narratur rapuisse vagos exercitus amnes
> et telis umbrasse diem, cum classibus iret
> per scopulos tectumque pedes contemneret aequor.

cum poeta eodem modo quo Lucanus l. s. c. praeter Agamemonem etiam Xerxem commemoret III 285 sq.: *effusis numerato milite telis Descendit Xerxes* et cum, quamquam similitudine ipsa Lucani multitudo significatur, tamen illud Lucani *unum Tot reges habuere ducem* respondeat versui, qui similitudini Claudianeae antecedit, dico v. 119: *in ducis eximium conspiravere favorem* (milites Stilichonis), quam maxime veri simile est Claudianum in hac imagine concinnanda sese applicuisse ad Lucanum. qua re probata alterum argumentum ad imitationem, de qua modo egimus, nacti sumus. verbis enim Lucani, quae imaginem e navibus Graecorum depromptam sequuntur v. 288 sq., *coiere nec umquam Tam variae cultu gentes, tam dissona vulgi Ora* simillima apud Claudianum huic, quam nunc recensemus, similitudini antecedunt v. 106 sq.: *numquam tantae dicione sub una Convenere manus nec tot discrimina vocum.* praeterea, ut libentius imitationem extare concedas, alterum Claudiani locum, de cons. Stil. I 152 sq. conferamus: *nec tantis dissona linguis Turba nec armorum cultu diversior umquam Confluxit populus.* videmus igitur ex uno Lucani loco Claudianum duas excogitasse similitudines. pauca de ceteris versibus huius comparationis addere mihi liceat. versum enim 121: *narratur rapuisse vagos exercitus amnes* Claudianus ipse imitatus est de cons. Stil. I 171: *arebant tantis epoti milibus amnes*, de Bell. Poll. 527: *arescere vidimus amnes.* unde haec superlatio orta sit, si imaginem ad Xerxis exercitum spectantem respicimus, dubium esse nequit; conferas quaeso Herod. VII 42, 109, 196. ex eodem fonte, dico Herod. VII 226, fluxerunt, quae sequuntur verba: *et telis umbrasse diem.* quod autem Claudianus etiam alio loco, de cons. Stil. I 258 similem elocutionem adhibuit: *Poenus iaculis obtexitur aer* tritum epicorum usum, quo multitudo telorum indicatur, secutus est. atque quam maxime ad Claudiani verba accedunt Vergilii Aen. XI 611 *caelumque obtexitur umbra*, XII 578 *obumbrant aethera telis.* similia praebet

Luc. III 545, VII 519, Sil. II 37, VIIII 327, XV 768, XVII 66, Stat. Theb. VIII 412 al. [1]). cum extremis huius similitudinis versibus 122 sq.: *cum classibus iret Per scopulos tectumque pedes contemneret aequor*, quamquam res ex Herodoto notissima est, aptissime comparari posse puto Lucr. III 1029 sqq., ubi splendide hoc Xerxis egregium factum sic commemorat poeta:

> viam ... per mare magnum
> stravit iterque dedit legionibus ire per altum
> ac pedibus salsas docuit super ire lacunas
> et contempsit equis insultans murmura ponti.

Nonnullae aliae imagines ita comparatae sunt, ut Claudianus eas ex historia, quam dicunt, depromere potuerit nullum certum respiciens auctorem. velim igitur ipse legas de Bell. Poll. 601 sqq., de VI. cons. Hon. 333 sqq., de cons. Stil. I 264 sqq., de Phoen. av. 83 sqq., carm. min. VIIII 7 sq. Claudianum Herodoti libros evolvisse et huius studii fructum suis inseruisse carminibus [2]) iam supra vidimus. splendidissimum autem exemplum habemus in Eutr. I 508 sqq. iam Gesnerus in adn. ad hos versus adscripta demonstravit Claudianum in historia de Scytharum servis explicanda sese applicuisse ad Herod. IIII, 1, 3. extremo denique loco proponamus imaginem satis memorabilem utpote ex sacris litteris depromptam carm. min. VIIII 7 sq. *sic quicumque ferox gelidum transnaverit Histrum, Mergatur volucres ceu Pharaonis equi.*

His imaginibus atque similitudinibus quam brevissime subiungamus eas, quae ad singulas gentes earumque mores ac vitam pertinent. quae partim tritae sunt ita, ut etiam apud alios poetas inveniantur, quorum locos adnotabo, partim ab solo Claudiano adhibentur. sed cum etiam hae simplices sint atque indignae, quae hic proponantur, locos huc spectantes enumerare sufficiet: de IIII cons. Hon. 542 sq., de Nupt. Hon. Fesc. I 25 (cf. Epith. Pall. et Cel. 135 sqq.), de Rapt. Pros. III 282 (Tib. III 4, 91, Sen. Troad. 1104 sq.), de Nupt. Hon. Fesc. I 3 (cf. Hor. Carm. II 9, 23 sq.), de cons. Stil. I 67, de Nupt. Hon. Fesc. I 2 (cf. Sen. Phaedr. 816), de cons. Stil. I 68, carm. min. XX 21, 47, de IIII. cons. Hon. 531 (cf. Hor. Carm. I 19, 11 sq., Prop. III 1, 13 sq., Ovid. A. A. I 209 sq., III 786, Tast. V 591, Sil. VII 646 sq.).

Similitudinibus, quae ad homines eorumque vitam spectant, absolutis ad aliud genus comparationum explicandum nos convertamus, quibus materiam suppeditant animalia. atque primo loco recenseamus

---

[1]) Vides igitur magnam cautionem hac in superlatione recensenda adhibendam esse. Ieep attulit tantum Aen. XII 578, Luc. VII 519.

[2]) Cf. praeterea Herod. II 2 et in Eutr. II 251 sqq.

Digitized by Google

imagines a quadrupedibus petitas, quarum numerus multo maior est quam illarum, quae ad alia genera animalium pertinent. ex universo horum genere depromptas tres exhibet Claudianus. quarum una legitur de Rapt. Pros. III 41 sqq., ubi Natura dea Iovem orans, ut gentes *Chaonio avertat victu*, sic argumentatur:

> Quid mentem traxisse polo, quid profuit altum
> erexisse caput, pecudum si more pererrant
> avia, si frangunt communia pabula glandes?

quamquam *vaga animalia glandibus vescentia* ex usu cottidiano in imagine allata inducere potuit Claudianus, tamen haec descriptio, quae ad statum hominum pertinet, qualis ante fruges a Cerere inventas fuit, nimis redolet narrationes poeticas de humili statu primi generis humani, quas apud Lucretium et Ovidium (Met. I 100 sqq.) invenimus. qua de causa apte conferes Lucr. V 931 sq., quo loco eadem hominum condicio simili e feris deprompta imagine illustratur:

> Multaque per caelum solis volventia lustra
> volvivago vitam tractabant more ferarum ....
> glandiferas inter curabant corpora quercus.

iam minus ad Claudiani imaginem quadrant alii duo loci, unus Ovidii Fast. II 291, quo Arcadum *vitam feris similem* vocat poeta, alter Silii II 501 sq., qui primas gentes facit *more ferarum Viventes rapto.* sed cum descriptiones primi generis humani status notissimae fuerint et ad hanc hominum condicionem depingendam tamquam sponte se praebuerint imagines ad pecudes spectantes, imitatio Lucretiana non ab omni remota est dubitatione. altera imago petita est e natura animalium, quae nihil provident. quibus similes fuisse dicit poeta in Eutrop. II 499 sqq. homines, quos Epimetheus finxit; nam *hi pecudum ritu non impendentia vitant Nec res ante vident.* unam tantum inveni similem imaginem, Simonid. Am. fr. 1, 3 sqq. sed quis quaeso credet Claudianum in conformanda tali simplicissima imagine ad certum aliquem auctorem se applicuisse? singularis denique imago inde extitit, quod de Bell. Poll. 44 cives romani Getico bello imminente perterriti vocantur *in pecorum morem formidine clausi.*

His expositis iam accedamus ad explicandas similitudines, quae ad singula quadrupedum genera pertinent. ac primum disputemus de similitudine, quae extat de Nupt. Hon. et Mar. 287 sqq.: Honorius Mariae nuptae desiderio atque amore inflammatus:

> calet obvius ire
> iam princeps tardumque cupit discedere solem.
> nobilis haud aliter sonipes, quem primus amoris
> sollicitavit odor, tumidus quatiensque decoras

Digitized by Google

turbata cervice iubas Pharsalia rura
pervolat et notos hinnitu flagitat ignes [1])
naribus accensis; mulcet fecunda magistros
spes gregis et pulchro gaudent armenta marito.

tales similitudines ab nostro sensu alienae ex animalium natura petitae usitatae erant apud veteres. conferas quaeso Stat. Ach. I 313 sqq., ubi Achilles Deidamiam conspiciens amore inflammatur:

Ut pater armenti quondam ductorque futurus,
cui nondum toto peraguntur cornua gyro,
cum sociam pastus niveo candore iuvencam
aspicit, ardescunt animi primusque per ora
spumat amor, spectant hilares obstantque magistri.

hac Statii comparatione, si et rei, quae depingitur, et singularum partium descriptionis consensum spectamus, sine ullo dubio excitatus est Claudianus ad similitudinem suam concinnandam. quod autem equum in imagine induxit, Vergilii exemplum secutus esse videtur, qui Aen. XI 492 sqq. equum ante oculos ponit, qui abreptis vinculis praesaepia fugit campumque apertum petit. maximum autem imitationis indicium in eo positum esse puto, quod apud Vergilium quoque desiderium equi describitur, quo impulsus campum petit: *aut ille in pastus armentaque tendit equarum*, quem versum intercedente Statii similitudine ad comparationem suam excogitandam adhibuisse putandus est Claudianus. ad hanc cognationem, quae, ut ita dicam, intrinsecus posita est, accedit quoque similitudo elocutionis. qua de causa omittere possumus similes comparationes ex equo petitas, quae ad illustrandam vel belli cupiditatem vel celeritatem ab aliis poetis adhibentur, quos omnes Homerus praeivit; cf. Hom. Z 506—511 (*O* 263—268), Apoll. III 1258 sqq., Aesch. Sept. 375 sqq., Enn. fr. 51. (V.), Ovid. Met. III 704 sq.

Huic similitudini aliam venustissime compositam adnectamus, qua in perlustranda luculentam Apollonii [2]) in eadem urbe, qua Claudianus, nati imitationem deprehendere mihi contigit. Stilichone enim conspecto cohortes conveniunt de Bell. Poll. 408 sqq. velut

---

[1]) *Ignes* codd. dett. exhibent, quos Gesnerus recte secutus esse videtur, cum ceteris libris scripsit Ieep *amnes*, quod non probo. nam si *amnes* legeremus, deesset tertium quod dicimus comparationis, quod altera lectione recepta optime exprimitur his verbis: *notos hinnitu flagitat ignes*, quae ad verba: *calet obvius ire* e. q. s. illustranda aptissima sunt. vox autem ignis tali usu tralaticio saepius usurpata est; cf. Hor. Epod. XIIII 13, Verg. Ecl. III 66, Ovid. Am. II 16, 11 et ad sequentia verba *naribus acccnsis* bene quadrat. ad sententiam conferas notissimos versus Lucretii V 1073 sqq extremi denique Claudiani versus lectionem *ignes* quam maxime commendant.

[2]) Ad eundem Apoll. II 1037 sq. aperte alludit Claudianus carm. min. XX 1 sqq.

Digitized by Google

armenta boum, vastis quae turbida silvis
sparsit hiems, cantus ac sibila nota magistri
certatim repetunt et avitae pascua vallis,
inque vicem se voce regunt gaudentque fideles
reddere mugitus, et qua sonus attigit aurem,
rara per obscuras apparent cornua frondes.

nam horum versuum fundum iecisse Apollonium I, 575 sqq. libenter mihi concedes, si hunc locum, quo pisces cantum Orphei sequentes similes vocantur armentis, quae pastor fistula canens ad stabula reducit, mecum comparaveris:

ὡς δ' ὁπότ' ἀγραύλοιο κατ' ἴχνια σημαντῆρος
μυρία μῆλ' ἐφέπονται ἄδην κεκορημένα ποίης
εἰς αὐλιν, ὃ δέ τ' εἶσι πάρος σύριγγι λιγείῃ
καλὰ μελιζόμενος νόμιον μέλος.

Claudianus vero totam similitudinem non integram recepit, sed nonnullas descriptionis partes adiecit et variavit ita, ut armenta non ut Apollonius pascua relinquentia, sed petentia faceret. aliud exemplum huius comparationum generis, quae e re, ut nobis hac aetate videtur, humili fluxerunt, apud veteres autem usitatae erant, extat de Rapt. Pros. I 127 sqq., ubi caritas, quae est inter vaccam et vitulum, adhibetur ad Cereris et Proserpinae amorem significandum. Ceres enim

Hanc fovet, hanc sequitur; vitulam non blandius ambit
torva parens, pedibus quae nondum proterit arva,
nec nova lunatae curvavit germina frontis.

ne vero cum Gesnero et Kretschmannio hanc imaginem Claudiano indignam censeamus, conferamus similem Ovidii Fast. IIII 459 sqq., qua ad illustrandam Cererem filiam ereptam deplorantem vacca commemoratur:

Ut vitulo mugit sua mater ab ubere rapto,
et quaerit fetus per nemus omne suos:
sic dea; nec retinet gemitus et concita cursu (fertur).

quam similitudinem ea de causa integram exscripsi, quod haec legitur in ea parte libri IIII. Fastorum, qua inde a v. 417 sqq. narratio de raptu Proserpinae continetur. Claudianus igitur huius loci memor ad similem conformandum aggressus est, cuius materiam aperte ex Hom. *P* 4 sqq. petiit:

ὥς τις περὶ πόρτακι μήτηρ
πρωτοτόκος κινυρή, οὐ πρὶν εἰδυῖα τόκοιο
ὥς περὶ Πατρόκλῳ βαῖνε ξανθὸς Μενέλαος.

imitatio, cum similis res eadem imagine depingatur, vix addubitari potest, quamquam poeta illud Homeri *πρωτοτόκος ... τόκοιο* omisit et vituli descriptionem latius extendit. sed ne hanc quidem rem, dico

Digitized by Google

verba *pedibus ... frontis*, sibi debet Claudianus. praeivit enim iam Hor. Carm. IIII 2. 57 sq.

> Fronte curvatos imitatus ignis
> tertium lunae referentis ortum,

quibus similia extant verba apud Ovid. Hal. 3: (vitulus), *qui nondum gerit in tenera iam cornua fronte* et Stat. Theb. VI 245: *et nondum lunatis fronte iuvencis*, qui etiam illud: *torva parens*, a quo Claudiani versus 128. incipit, Theb. IIII 249 exhibet.

Duas alias similitudines, quae extant in Eutr. I 348 sqq., Claudianus ipse excogitasse putandus est. quarum priorem, cum ab armentis petita sit, hoc loco breviter tetigisse sufficiet.

Pergentes in explicandis huius imaginum generis fontibus certissima imitationis vestigia inveniemus in similitudine, quae legitur de IIII. cons. Hon. 383 sqq., ubi Theodosius ex indole, qua Honorius ad regnandum natus esse videtur, concludit filium patre dignum futurum esse:

> sic pascua parvus
> vindicat et necdum firmatis cornibus audax
> iam regit armentum vitulus.

simillimo modo apud Senecam Tro. 536 sqq. Ulixes de filio Hectoris sic disserit:

> Generosa in ortus semina exsurgunt suos.
> sic ille magni parvus armenti comes
> primisque nondum cornibus findens cutem
> cervice subito celsus et fronte arduus
> gregem paternum ducit ac pecori imperat.

sententiam utriusque imaginis prorsus eandem esse non est, cur pluribus verbis demonstrem. deinde ad hoc gravissimum argumentum accedit etiam haud spernendum alterum in consensu verborum et elocutionis positum, qui sponte in oculos incurrit.

Alia, quae huc pertinet, imago simplicissima est. Leo enim in Eutr. II 400 iactans se haec dicit: (Guthrungos) *ut miseras populabor oves*. comparationes, quibus hostes fugientes vel occisi componuntur cum ovibus a feris bestiis petitis notissimae sunt ex Hom. *K* 485 sqq., *O* 323 sqq., *Π* 352 sqq., quem Apoll. II 123 sqq. et Ovid. Fast. II 209 sqq. secuti sunt. eiusdem Leonis, viri lingua fortissimi, sunt verba, quae extant in Eutr. II 398 sq.: *efficiam leviorem pondere lanae Tarbigilum tumidum*. apte dicta sunt haec ex indole et arte Leonis, quam descripsit Claudianus vv. 379 sqq. iustum autem illustrandi modum excessit poeta in similitudine, qua interitus Leonis in luto haerentis hoc modo depingitur ib. 444 sqq.:

Digitized by Google

> Mergitur et pingui suspirat corpore moles
> more suis, dapibus quae iam devota futuris
> turpe gemit.

Iam breviter agamus de aliis huc spectantibus imaginibus, quas cum simplices atque tritae sint, breviter perstringamus. sic de cons. Stil. II 215 sq. dii, qui Stilichoni semper favent, insidias retegentes eum *in ipsa cubilia fraudum Ducunt, ceu tenera venantem nare Molossi.* haec autem natura canum notissima est et a multis poetis in imagine inducitur; cf. Aesch. Ag. 1047 sq., Eum. 244 sqq., Soph. Ai. 5 sqq., Enn. Ann. X 7 (V.), Lucr. I 404 sqq., Ovid. Hal. 79 sq., Sen. Thyest. 497 sqq.

Ex cervorum timiditate et celeritate prodiit imago, quae legitur in Eutr. II 440: *Ipse Leo damma cervoque fugacior ibat.* cuius imaginis usum ex sermone cottidiano depromere potuit Claudianus. quam frequens autem is etiam apud poetas fuerit, ex his locis conspici potest: Hom. *N* 102 sqq., *Φ* 29, *X* 1 al., Aesch. Eum. 111, Hor. Carm. I 23, 1, II 16, 23, Ovid. Fast. III 646, Met. XI 771 sq., XIII 805 sq., Stat. Theb. VI 598 sqq. quibus locis multi alii addi possunt, quos enumerare supersedeo. unum tantum proponam, qui etsi nulla eo continetur imago, tantopere, quod ad elocutionem attinet, cum Claudiani loco congruit, ut fortasse de imitatione cogitari possit, dico Verg. Georg. III 539: *timidi dammae cervique fugaces.*

Iam sequantur duae imagines, quarum una, in Eutr. I 303 sqq., Eutropius consulari ornatu ingrediens confertur cum simia, quam pueri irridentes pretiosis vestimentis induerunt. altera legitur in carm. min. XX 17, ubi hystricis spinae opponuntur spinis silvestris echini.

His absolutis ad ceteras similitudines imaginesque perlustrandas accedamus, quae e feris earumque natura petitae sunt. ac primo loco breviter attingamus similitudinem, quae Rufini terrori illustrando inservit, quem milites interfecturi circumdederunt, in Ruf. II 392 sqq. fortasse Claudianus tale quid in circo vidit et in usum comparationis convertit. certe similitudinem, quae apud Aesch. Ag. 1016 legitur, non respexit. insatiabilem deinde naturam universi generis bestiarum comparando inductam videmus de IIII. cons. Hon. 250 sq. ad cupidinem describendam. sed ferae non solum insatiabiles, sed etiam crudeles sunt. quam ferarum indolem multi poetae imaginibus expresserunt; cf. Hom. *Γ* 449, *Δ* 546, *O* 586, Apoll. II 45, Ovid. Her. VII 36, X 1, Sen. Phaedr. 558, Med. 407, Luc. VIII 599 sq., Sil. XI 181. Claudianus quoque duo huius generis exempla exhibet in Eutr. I 183 sq. et de Nupt. Hon. Aug. Fesc. I 26.

Ad singulas feras aggredientes duas imagines recenseamus, quibus e leaena et tigride depromptis eadem inest notio crudelitatis.

Digitized by Google

Cereri enim in somnio Proserpina rapta haec verba faciens visa est de Rapt. Pros. III 97 sqq.:

> Heu torva parens nataeque peremptae
> immemor, heu fulvas animo transgressa leaenas
> tantane te nostri tenuere oblivia?

tritissimae erant apud veteres eius modi imagines; cf. Aesch. Ag. 1212, Eur. El. 1163 sq., Herc. f. 1210 sqq., Med. 1342, 1358, 1407, Orest. 1555, Ovid. Am. II 14, 36. ceterae autem imagines ad leaenam pertinentes statim sequentur. propius enim, si formam ac structuram imaginis spectamus, ad aliam accedunt, quae vv. 104 sqq. legitur:

> Quod si non omnem pepulisti pectore matrem,
> si tu nota Ceres et non me Caspia tigris
> edidit, his oro miseram defende cavernis.

aliorum poetarum simillimos locos adscripturus minime in animo habeo certum quid statuere de imitatione huius vel illius poetae; commemoratione autem dignum esse videtur, quo modo has imagines simili forma instructas Romani e Graecis mutuati sint et ipsi alius alium imitati sint. sed priusquam has imagines adferam, duas ad tigridis crudelitatem spectantes breviter enumerabo, Ovid. Am. II 14, 35, Stat. Theb. III 693 sq. imagines autem, quae praeter materiam etiam propter structuram cum Claudiani loco conferendae sunt, has inveni. primo loco ponam eas, quae ad universum ferarum genus pertinent: Ovid. Her. VII 36: *te saevae progenuere ferae*, Trist. III 11, 3 (cf. I 8, 40): *nutritus lacte ferino*. multo frequentius occurrunt eae, quibus leaena inducitur: Eur. Bacch. 989 sq., Theocr. Id. III 15 sq., XXIII 19, Cat. LX 1, LXIIII 154, Tib. III 4, 90, Ovid. Met. VIIII 615. sequuntur imagines, quae ut Claudianea ad tigrim pertinent: Verg. Aen. IIII 367, Ovid. Met. VII 32, VIII 120 sq., VIIII 613, Trist. I 8, 43 sq., Sen. Herc. Oet. 145 sq. apparet Ovidium huius generis imagines plurimas easque simillimas habere.

Hac occasione oblata nonnullas alias proferamus similitudines, quae crudelitatis et ferocitatis notioni inservientes e leaenis et tigribus petitae sunt. in Ruf. I 226 sq. furor Rufini his describitur imaginibus: *Quae sic* (furit) *Gaetuli iaculo percussa leaena? Aut Hyrcana premens raptorem belua Parthum?* qua in similitudine adhibenda comitatur Claudianus Apollonium, qui Arg. II 25 sq. de Amyco, Bebrycum rege, haec dicit: ὃ δ' ἐσέδρακεν ὄμμαθ' ἑλίξας, ὥστε λέων ὑπ' ἄκοντι τετυμμένος et Hor. Epod. V 10, ubi Canidia componitur cum *petita ferro belua*, et Stat. Theb. VI 787 sq.: *non leo, non iaculo tantum indignata recepto Tigris*. cf. praeterea Verg. Aen. XII 4 sqq. coll. Hom. Υ 164 sqq., Val. Fl. III 587 sqq. ex his omnibus imaginibus Statiana ad Claudianeam

Digitized by Google

proxime accedit, ad quam poeta se applicuisse eo veri similius est, quod etiam similitudo, quae apud Claudianum statim sequitur, ad Statii exemplum conformata est, dico verba: *Aut Hyrcana premens raptorem belua Parthum*, quocum iam Ieep contulit Stat. Theb. IIII 315 sq., ubi Atalanta Parthenopaeum filium Thebas profectum sequitur: *raptis velut aspera natis Praedatoris equi sequitur vestigia tigris.* accedit altera imago, quae legitur Silv. II 1, 8 sq., ducta ex tigride catulis orbata. Claudianus autem praeter hanc, quam modo recensuimus, alteram quoque exhibet de Rapt. Pros. III 263 sqq., simillima ratione institutam, qua furor Cereris Proserpinam raptam querentis hunc in modum illustratur:

> Arduus Hyrcana quatitur sic matre Niphates,
> cuius Achaemenio regi ludibria natos
> avexit tremebundus eques. fremit illa marito
> mobilior Zephyro totamque virentibus iram
> dispergit maculis iam iamque hausura profundo
> ore virum vitreae tardatur imagine formae.
> haud aliter toto genetrix bacchatur Olympo.

ad hanc quoque comparationem Ieep Statii locum, Theb. IIII 315 sq. recte attulit, quamquam concedendum est versus extremos ex alio fonte vel ex ipso Claudiani ingenio fluere potuisse. inepte autem M. Kulla p. 18 sq. adnotavit similem comparationem extare in Stat. Theb. II 128 sqq. frustra enim quaeres in hoc loco imitationis indicia, cum ne uno quidem verbo commemoretur tigris catulis orbata. cum autem Claudianea similitudine Ceres *toto Olympo bacchans* depingatur, quodam modo conferre licet Ovid. Met. XIII 546 sq., ubi Hecuba filii mortem ultura: *furit... ut catulo lactente orbata leaena Signaque nacta pedum sequitur quem non videt hostem.* Ovidium autem respexisse Homerum, qui Σ 318 sqq. Pelei filium Patrocli mortem deplorantem confert cum leone raptorem catulorum sequente, scite contendit Washietl p. 14. conferas denique Sen. Med. 862 sqq., Sil. XII 458 sqq. extremo loco sequatur brevissima imago, quae occurrit in Ruf. I 90, ubi Rufinus, *prodigium* vocatur *tigride mobilius feta.* Ieep similitudinem magis verborum quam sensum respiciens comparari iussit Luc. V 405: *ocior et caeli flammis et tigride feta.* haud recte; nam cum Claudianea imagine non celeritas significetur, ad quam notionem adumbrandam Lucanus Caesaris vehementiam depingens recte in imagine induxit tigridem fetam summa celeritate catulos raptos persequentem, sed furor et ira Rufini, aptius, quod ad sensum attinet, componatur Ovid. A. A. II 375, quo loco femina, quae infidum mariti animum deprehendit, magis saevire dicitur, quam *lea, cum catulis lactantibus ubera praebet.* quod autem lea apud Ovidium commemoratur, non multum contra imitationem valere in aperto est. deinde imaginem, quae apud Sen. Herc. Oet. 241 sq.

Digitized by Google

extat, silentio praeterire nolo, ubi Deianira, postquam conspexit Iolen *stetit furenti similis ..., feta ut Armenia iacens Sub rupe tigris hoste conspecto exsilit.*

Iam pervenimus ad similitudines, quae e leone eiusque indole ductae sunt. comparationes ad hanc bestiam pertinentes aliis locis alia ratione conformatae magnam prae se ferunt artem et elegantiam. imitationem Vergilianam, quae vix addubitari potest, habes de Bell. Poll. 322 sqq., ubi Stilicho contra Getas profecturus:

> Scandit inaccessos brumali sidere montes
> nil hiemis caelive memor. sic ille relinquens
> ieiunos antro catulos immanior exit
> hiberna sub nocte leo tacitusque per altas
> incedit furiale nives; stant colla pruinis
> aspera, flaventes astringit stiria saetas;
> nec meminit leti nimbosve aut frigora curat,
> dum natis alimenta parat.

simili enim modo Vergilius Aen. II 355 sqq., ut pugnandi illustret cupiditatem, qua Aeneas eiusque comites in Graecos Troia expugnata inflammantur, imagine a luporum rabie desumpta utitur:

> inde lupi ceu
> raptores atra in nebula, quos inproba ventris
> exegit caecos rabies catulique relicti
> faucibus exspectant siccis, per tela, per hostis
> vadimus haud dubiam in mortem ...
> ..... nox atra cava circumvolat umbra.

Vergilium autem similitudinis Claudianeae fundum iecisse inde arguitur, quod apud utrumque poetam fortitudo viri cuiusdam depingitur nocturno impetu bestiarum, quae, ut alimentum catulis anquirant, e latebris eliciuntur. verba enim Vergilii: *raptores atra in nebula* et *nox atra cava circumvolat umbra, catulique relicti Faucibus exspectant siccis*, quae in comparationis usum convertit Claudianus, imitando expressit his: *hiberna sub nocte leo ... Incedit, relinquens Ieiunos antro catulos, Dum natis alimenta parat.* quis enim non videt impetum nocturnum famis catulorum sedandae causa factum quam maxime premi apud Claudianum? ceterum poetam nonnulla descriptionis lineamenta de suo addidisse apparet.

Claudianum diligentissime Homerum legisse e nonnullis similitudinibus, quas ex hoc poeta, communi omnium fere poetarum fonte, hausit, iam vidimus. memorabile imitationis luculentissimae indicium conspicimus etiam in Ruf. II 252 sqq., ubi Stilicho iubente Arcadio, cui, ut Stilichonem ab exercitu revocaret, Rufinus persuaserat:

Digitized by Google

Flexit iter: vacuo qualis discedit hiatu
impatiens remeare leo, quem plurima cuspis
et pastorales pepulerunt igne catervae,
inclinatque iubas demissaque lumina velat
et trepidas maesto rimatur murmure silvas.

nulla enim certiora imitationis vestigia cogitari possunt, quam quae in eo posita sunt, quod similis res prorsus eadem similitudine depingitur, id quod cadit in Claudiani et Homeri locum, *Λ* 548 sqq., quo Aiax a pugna contra Troianos se recipit:

ὡς δ' αἴθωνα λέοντα βοῶν ἀπὸ μεσσαύλοιο
ἐσσεύαντο κύνες τε καὶ ἀνέρες ἀγροιῶται,
οἵ τέ μιν οὐκ εἰῶσι βοῶν ἐκ πῖαρ ἑλέσθαι
πάννυχοι ἐγρήσσοντες· ὁ δὲ κρειῶν ἐρατίζων
ἰθύει, ἀλλ' οὔ τι πρήσσει· θαμέες γὰρ ἄκοντες
ἀντίον ἀΐσσουσι θρασειάων ἀπὸ χειρῶν,
καιόμεναί τε δεταί, τάς τε τρεῖ ἐσσύμενός περ·
ἠῶθεν δ' ἀπονόσφιν ἔβη τετιηότι θυμῷ·
ὡς Αἴας τότ' ἀπὸ Τρώων τετιημένος ἦτορ
ἤιε, πόλλ' ἀέκων.

similitudinis homericae singulas partes cum Claudianea ad amussim fere congruere pluribus demonstrare putidum fere videtur. atque eo magis illa Claudiani Homerum legentis menti inhaerere potuit, cum prorsus eadem legatur *P* 657 sqq. atque *P* 109 sqq. adeo simillima occurrat. nec minus certum imitationis exemplum conspicitur in similitudine, qua de Rapt. Pros. II 209 sqq. Pluto Proserpinam rapturus impavide Athenae resistens confertur cum leone, qui *iras despicit pastorum:*

Ille, velut stabuli decus armentique iuvencam
cum leo possedit nudataque viscera fodit
unguibus et rabiem totos exegit in armos,
stat turpis crassa sanie nodosque iubarum
excutit et viles pastorum despicit iras.

quae comparatio ad Homeri exemplum conformata est, qui cum permultis locis leonem, cuius generosum cor numquam pavet, tamquam imaginem induxit, tum locum exhibet, quo una eademque ratione ferocitas leonis, cui bovem correptum avide devoranti nemo resistere audet, usurpatur ad illustrandam virtutem Menelai Patrocli corpus fortiter defendentis *P* 61 sqq.:

ὡς δ' ὅτε τίς τε λέων ὀρεσίτροφος, ἀλκὶ πεποιθώς,
βοσκομένης ἀγέλης βοῦν ἁρπάξῃ, ἤτις ἀρίστη·
τῆς δ' ἐξ αὐχέν' ἔαξε [1]) λαβὼν κρατεροῖσιν ὀδοῦσιν
πρῶτον, ἔπειτα δέ θ' αἷμα καὶ ἔγκατα πάντα λαφύσσει

[1]) Breviter adnotandum est illud Hom. *αὐχέν' ἔαξε* (v. 63, cf. *E* 161, *Λ* 175) praeter Hor. Carm. I 23, 10, Val. Fl. II 459, Stat. Theb. XI 28 etiam Claudianum imitando expressisse de cons. Stil. II 21: *frangere tauros*, de cons. Stil. III 301: *taurum fracturae.*

Digitized by Google

δηῶν· ἀμφὶ δὲ τόν γε κύνες τ' ἄνδρες τε νομῆες
πολλὰ μάλ' ἰύζουσιν ἀπόπροθεν οὐδ' ἐθέλουσιν
ἀντίον ἐλθέμεναι· μάλα γὰρ χλωρὸν δέος αἱρεῖ.

iam obiter comparanti apparet Claudianum quam maxime Homeri vestigia pressisse. id quod etiam perspicitur in descriptione leonis avide taurum devorantis, quam Claudianus (cf. *nudataque ... sanie*) mutuatus est ex Homero (cf. *πρῶτον ... δηῶν*). Homerum denique Hesiodus respexit in Scut. Herc. 425 sqq., ubi Cycnus fortiter Marti resistens simillima atque fere eadem depingitur comparatione. Claudianum vero Homerum, non Hesiodum imitatum esse et ex maiore consensu, qui est inter utrumque poetam, et ex eo facile concluditur, quod aliis quoque locis non minus aperte quam hoc loco ad eundem poetam se applicuit. haud spernenda deinde vestigia similitudinis, quae legitur de III. cons. Hon. 77 sqq., iam Gramlewicz, quem Ieep secutus est, deprehendit. Honorius enim adulescens bello orto in hostes irruere cupit:

Ut leo, quem fulvae matris spelunca tegebat
uberibus solitum pasci, cum crescere sensit
ungue pedes et terga iubis et dentibus ora;
iam negat imbelles epulas et rupe relicta
Gaetulo comes ire patri stabulisque minari
aestuat et caesi tabum sorbere iuvenci.

prorsus eadem similitudine iam Statius in Theb. IX 739 sqq. usus est, ut animum Parthenopaei describeret, qui patriae matrisque Atalantae immemor Thebas profectus est:

Ut leo, cui parvo mater Gaetula cruentos
suggerit ipsa cibos, cum primum crescere sensit
colla iubis torvusque novos respexit ad ungues,
indignatur ali, tandemque effusus apertos
liber amat campos et nescit in antra reverti.

vides Claudianum non solum comparationis usum, sed etiam permultas elocutiones immutatas recepisse. ceterum verba v. 77 sq. *fulvae matris ... Uberibus solitum pasci* recte Zingerle I 10 sq. revocavit ad Hor. Carm. IIII 4, 14 sq.: *fulvae matris ab ubere Iam lacte depulsum leonem.* quam sententiam comprobo; accedit enim ad argumentum in simili verborum structura positum, quod saepe ad imitationem statuendam non sufficere iam vidimus, etiam illud, quod ad sensum similem pertinet. atque Horatii locus re vera imaginem simili ratione institutam continet, cf. v. 13 sqq.:

Qualemve laetis caprea pascuis
intenta fulvae matris ab ubere
iam lacte depulsum leonem
dente novo peritura vidit:
videre Raeti bella sub Alpibus
Drusum gerentem Vindelici.

Digitized by Google

Verum leones non solum feroces et crudeles sunt, sed etiam magnanimi; quam leonum indolem duobus locis simillimis tamquam imaginem induxit Claudianus, de cons. Stil. II 18 sqq.:

> deponas ocius iram,
> quam moveas, precibus numquam implacabilis obstes,
> obvia prosternas prostrataque more leonum
> despicias, alacres ardent qui frangere tauros,
> transiliunt praedas humiles. hac ipse magistra
> das veniam victis.

quibus simillima sunt, quae legimus carm. min. V 27 sqq.:

> Emollit rabiem praedae mortisque facultas:
> praetereunt subiecta ferae torvique leones,
> quae stravisse valent, eadem prostrata relinquunt,
> nec nisi bellantis gaudent cervice iuvenci
> nobiliore fame.

priorem locum ideo integrum exscripsi, ne cum Ieepio unum tantum similem adferamus, unde Claudiani imaginem fluxisse putemus. etenim recte quidem Ieep commotus congruentia verborum: *nec nisi bellantis gaudent cervice iuvenci Nobiliore fame* cum Stat. Theb. VIII 595 sq.: *magno furor est in sanguine mergi, Nec nisi regnantis cervice recumbere tauri* Statium a Claudiano respectum esse contendit. cum vero, quod apparet e verbis Claudiani, similitudinis cardo, ut ita dicam, in illustranda placabilitatis notione versetur et hoc ab Statii loco alienum sit (cf. 592 sqq.), alium circumspiciamus locum. neque deest, quem aptissime conferamus. dico Ovid. Trist. III 5, 31 sqq., quo ad suam similitudinem concinnandam excitatum esse Claudianum libenter mihi concedes, si memineris Claudianum totum argumentum deprecationis ad Hadrianum ex Ovidio sumpsisse, id quod iam supra attigimus. Nasonis autem versus sunt hi:

> quo quisquis maior, magis est placabilis irae,
> et faciles motus mens generosa capit.
> corpora magnanimo satis est prostrasse leoni,
> pugna suum finem, cum iacet hostis, habet,

ad quos aperte redeunt Stat. Theb. VII 529 sqq.:

> quales ubi tela virosque
> pectoris impulsu rabidi stravere leones,
> protinus ira minor,

et Theb. VIII 123 sqq.:

> Accipit ille preces indignaturque moveri.
> ut leo Massylii cum lux stetit obvia ferri,
> tunc iras, tunc arma citat; si decidit hostis,
> ire supra satis est vitamque relinquere victo.

qui loci cum non tam prope ad Claudiani versus accedant quam ad versus Ovidii, hic poeta fons similitudinis Claudianeae putandus est.

Digitized by Google

sed certe nihil impedit, quominus concedamus Ieepio Claudianum e loco illo Stat. Theb. VIII 595 sq., cui simillimum inveniri Theb. XII 736 sqq. in transcursu tantum commemoro, versus supra citatos: *nec nisi bellantis* e. q. s. hausisse.

Serpentes in universum pestiferae sunt et ob hanc indolem ad notionem crudelitatis adumbrandam in imaginibus inducuntur; cf. Aesch. Ag. 1187, Eur. Alc. 310, Androm. 271, Ion. 1262. in poetis latinis hi loci similes leguntur: Hor. Carm. III 10, 18, Sat. II 8, 95, Sen. Herc. Oet. 284. Claudiani autem eiusmodi locus extat in Ruf. I 89, ubi Rufinus *prodigium* vocatur *cunctis immanius hydris.* huic imagini simplicissimae addamus alteram, qua furor et insania Rufini hoc modo illustratur Ruf. I 228: *quae sic ... serpens calcata furit?* si structuram et sensum respicimus, apte congruit Ovid. Met. XIII 803 *calcato immitior hydro.* accedit, quod locus Ovidianus tanta imaginum multitudine excellit, ut animos legentium eum tenuisse veri simile sit. ceterae similitudines imaginesque ad serpentes spectantes, quae apud Ovidium et Statium leguntur, non ita comparatae sunt, ut eos Claudiano exemplo fuisse contendi possit. velim enim ipse conferas: Ovid. A. A. II 376 sq., Stat. Theb. II 410 sqq. iam ante hos *anguem pede pressun iras attollentem* depinxit Vergilius similitudine, quae prorsus aliam rem significat, Aen. II 379 sqq.

Iam addantur imagines atque similitudines, quae petitae sunt ab avibus. sic aves caelum volando petentes aptam praebuerunt materiam describendi. veluti Homerus α 320 dicit: *ὄρνις δ' ὣς ἀνόπαια διέπτατο,* ad quem versum conferas: hymn. Hom. in Cer. 43, Theogn. 1097, Eur. Bacch. 748, Suppl. 1045, Mosch. I 144 sq., II 16. imaginibus autem, quae ex avibus depromptae celeritatem indicant, praeter Claudianum de Manl. Th. cons. 320: *more avium sese iaculentur in auras* poetae latini usi non sunt. altera de universo avium genere petita similitudo, quae legitur de Rapt. Pros. III 141 sqq., pertinet ad avem pullis suis metuentem. venustissime enim metus Cereris, quae, ne quid mali Proserpinae filiae accidat, Phrygia relicta Siciliam petit, hunc in modum ante oculos ponitur:

> Cuncta pavet speratque nihil. sic aestuat ales,
> quae teneros humili fetus commiserit orno
> allatura cibos et plurima cogitat absens,
> ne gracilem ventus discusserit arbore nidum,
> ne furtum pateat homini neu praeda colubris.

ad hanc similitudinem haud inscite Zingerle I 10 conferri iussit Hor. Epod. I 17 sqq., ubi se ipsum haec dicentem facit poeta:

Digitized by Google

Comes minore sum futurus in metu,
qui maior absentis habet;
ut assidens implumibus pullis avis
serpentium allapsus timet
magis relictis, non, ut adsit, auxili
latura plus praesentibus.

recte Zingerle hunc locum fontem esse Claudianei contendit; nam apud Claudianum et Horatium metus hominis vel deae illustratur cura absentis avis. ad hoc gravissimum imitationis argumentum accedit, quod etiam nonnullae elocutiones quam maxime similes sunt. quis enim infitiabitur Horatii *implumibus pullis avis Serpentium allapsus timet* imitando expressisse Claudianum his: *teneros fetus, ales aestuat ... neu praeda colubris?* ne id quidem: *allatura cibos* Claudianus sibi debet, cum illud Horatianum *pullis ... relictis* nihil aliud significare posse nisi: postquam pullos cibi petendi causa reliquit in aperto sit. ceterum in simili imagine adhibenda iam praeivit Aeschylus, qui Sept. 274 sqq. chorum virginum impetu hostium percussarum timentem illustrat his verbis:

δράκοντα δ' ὥς τις τέκνων
ὑπερδέδοικεν λεχαίων δυσαυήτορας
πάντροφος πελειάς.

quod denique ad duos extremos versus comparationis Claudianeae attinet, silentio praeteriri nequit Statium in imagine, quae extat Ach. I 212 sqq., simillima exhibere. Thetis enim Achillis filio aptum investigans domicilium sic depingitur:

Qualis vicino volucris iam sedula partu
iamque timens qua fronde domum suspendat inanem;
providet hic ventos, hic anxia cogitat angues,
hic homines.

vix enim casui soli tribui potest, quod Claudianus aeque ac Statius tria haec pericula pullis avis imminentia commemoravit.

Transgrediamur ad similitudines imaginesque, quae pertinent ad singulas aves. in imagine brevissima, quae legitur de Nupt. Hon. Aug. Fesc. IIII 21 sqq., ‚querula ales' inducitur: cogitandum autem est de columba. Claudianus enim h. l. Honorium et Mariam adhortatur, ut amorem exerceant mutua dantes oscula ac blande sese alloquentes:

Et murmur querula blandius alite
linguis assiduis reddite mutui
et labris animam conciliantibus.

suo iure comparabimus locum Ovidii A. A. II 465 sq.: *iungunt sua rostra columbae, Quarum blanditias verbaque murmur habet;* adde Cn. Mattium apud Gellium XX 9, Treb. Poll. Gall. 11, 8.

Digitized by Google

Hirundo deinde plumis orbata singulari modo commemoratur in Eutr. I 117 sq. ad illustrandam Eutropii calvitiem. aliter res se habet in imagine, quam statim adnectere placet. pavo enim occurrit de Rapt. Pros. II 97, ubi varii colores agrorum pratorumque, quos Zephyrus iubente Henna flando effecit, praeter alias tres imagines hac indicantur: *non tales volucer pandit Iunonius alas.* quod ad elocutionem attinet, Gramlewicz p. 21, quem Ieep secutus est, attulit Ovid. Am. II 6, 55: *explicat ipsa suas ales Iunonia pinnas*, Med. fac. 33 sq.: *laudatas homini volucris Iunonia pennas Explicat*, A. A. I 627, *laudatas ostendit avis Iunonia pinnas.* sed hi loci omnes, si sensum spectamus, non ita comparati sunt, ut iure contendere queas ex his imaginem Claudiani ortam esse. at alium in promptu habeo locum, quo similitudo prorsus eadem et similibus verbis conformata continetur, Stat. Silv. II 4, 26 sq.: *quem non gemmata volucris Iunonia cauda Vinceret aspectu.* accedit, quod similis imago nusquam apud veteres occurrit.

Valde poetae inde ab Homero similitudinibus delectati sunt, quibus milites proficiscentes cum avibus, inprimis gruibus, volantibus componuntur, cuius generis exemplum praebet etiam Claudianus de Bell. Gild. 474 sqq., ubi exercitus iter facientis strepitus sic depingitur:

> Pendula ceu parvis moturae bella colonis
> ingenti clamore grues aestiva relinquunt
> Thracia, cum tepido permutant Strymona Nilo:
> ordinibus variis per nubila texitur ales
> littera pennarumque notis inscribitur aer.

hanc similitudinem ex Statio Theb. XII 515 sqq. fluxisse falsissime iudicavit M. Kulla p. 17. nam comparatione, quae hoc loco occurrit, quaque, ut ex v. 514 *sedatis requierunt pectora curis* apparet, prorsus alia res depingitur, non grues Nilum petentes inducuntur, sed gaudium harum avium post adventum in Aegypto ortum illustratur. nec magis feliciter ille attulit Verg. Aen. X 264 sqq., quo loco laeta illustratur acclamatio, qua Aeneas ab Evandro reversus ab suis excipitur. rectius comparavit Stat. Theb. V 11 sqq.; nam septem illi duces contra Thebas proficiscentes cycnis conferuntur hieme peracta in Thraciam revertentibus. sed cum apud Claudianum grues Thraciam relinquant et similitudo alia se praebeat, quae multo artiore cognationis vinculo cum Claudianea coniuncta est, Statianam mittamus. dico enim Hom. *Γ* 2 sqq.:

> *Τρῶες μὲν κλαγγῇ τ' ἐνοπῇ τ' ἴσαν ὄρνιθες ὥς,*
> *ἠύτε περ κλαγγὴ γεράνων πέλει οὐρανόθι πρό,*
> *αἵ τ' ἐπεὶ οὖν χειμῶνα φύγον καὶ ἀθέσφατον ὄμβρον,*
> *ἀνδράσι Πυγμαίοισι φόνον καὶ κῆρα φέρουσαι·*
> *ἠέριαι δ' ἄρα ταί γε κακὴν ἔριδα προφέρονται.*

Claudianum enim recta via similitudinem suam ex Homero petiisse

Digitized by Google

praeter consensum rei depingendae et rei illustratae luce clarius apparet e versu 5: *ἀνδράσι Πυγμαίοισι φόνον καὶ κῆρα φέρουσαι*, quem Claudianus non solum in similitudine, de qua verba facimus, v. 474 *parvis moturae bella colonis*, sed etiam carm. min. I 13 *Nilo Pygmaea grues post bella* imitatus est. sed unde fluxerunt extremi Claudiani versus? sunt hi:

ordinibus variis per nubila texitur ales
littera pennarumque notis inscribitur aer.

ne hos quidem sibi debere poetam Lucani loco quodam demonstratur, qui V 711 sqq. navium ordinem, qui mari tranquillo servatur, cum figuris comparat, quas grues volantes effingunt:

Strymona sic gelidum, bruma pellente, relinquunt
poturae te, Nile, grues, primoque volatu
effingunt varias, casu monstrante, figuras.
mox ubi percussit tensas Notus altior alas,
confusos temere immixtae glomerantur in orbes,
et turbata perit dispersis littera pennis.

Claudianum hanc descriptionem in suum usum convertisse nemo negabit, si Lucani versus semel tantum perlegerit.

Singularis deinde comparatio Claudianea inde prodiit, quod in Eutr. II 310 sqq. Eutropius, qui cum Targibilus eiusque exercitus appropinquaret, periculum non magnum esse sibi persuadere studuit, similis vocatur struthocamelo, quae avis *si iam vestigia* (sc. venatorum) *retro Clara sonent, oblita fugae stat lumine clauso, Ridendum revoluta caput creditque latere, Quem non ipsa videt.*

Certissimum vero atque manifestissimum imitationis exemplum praebet locus praef. ad III. cons. Hon. Aug. 1 sqq., quam Ieepium neglexisse valde mirandum est, cum etiam verborum et elocutionis congruentia in aperto sit. Claudianus se ipsum, ut eius ipsius utar verbis (vv. 15 sqq.), quem *Pieriis temptatum saepius antris Audet magna suo mittere Roma deo*, comparat cum aquilae pullis:

Parvos non aquilis fas est educere fetus
ante fidem Solis iudiciumque poli.
nam pater, excusso saliit cum tegmine proles,
ovaque maternus rupit hiulca tepor,
protinus implumes convertit ad aethera nidos
et recto flammas imperat ore pati.
consulit ardentes radios et luce magistra
natorum vires ingeniumque probat.
degenerem refugo torsit qui lumine visum,
unguibus hunc saevis ira paterna ferit.
exploratores oculis qui pertulit ignes
sustinuitque acie nobiliore diem,
nutritur volucrumque potens et fulminis heres
gesturus summo tela trisulca Iovi.

Digitized by Google

ut imitatio sponte in oculos incurrat, iam adscribamus versus Lucani VIIII 902 sqq., qui prorsus eadem similitudine usus est ad describendam rationem, qua Psylli, gens Africae, liberorum castam originem explorant:

> Utque Iovis volucer, calido cum protulit ovo
> implumes natos, solis convertit in ortus:
> qui potuere pati radios, et lumine recto
> sustinuere diem caeli, servantur in usus;
> qui Phoebo cessere, iacent: sic pignora gentis
> Psyllus habet, si quis tactos non horruit angues,
> si quis donatis lusit serpentibus infans.

ut rem ex omni parte absolvamus, alia quoque similitudo commemoranda est, quae extat apud Sil. X 108 sqq.

Occasione oblata attingere mihi liceat Claudianum augurium Romanis superveniens, quod legimus de Bell. Gild. 467 sqq., ex Homero mutuatum esse, apud quem idem portentum occurrit. Claudiani versus ad aquilam spectantes sunt hi:

> Omina conveniunt dictis, fulvusque Tonantis
> armiger ad liquidam cunctis spectantibus aethram
> correptum pedibus curvis innexuit hydrum.
> dumque reluctantem morsu partitur obunco,
> haesit in ungue caput: truncatus decidit anguis.

Homeri autem locus legitur *M* 200 sqq.:

> *ὄρνις γάρ σφιν ἐπῆλθε περησέμεναι μεμαῶσιν*
> *αἰετὸς ὑψιπέτης ἐπ' ἀριστερὰ λαὸν ἐέργων,*
> *φοινήεντα δράκοντα φέρων ὀνύχεσσι πέλωρον*
> *ζωὸν ἔτ' ἀσπαίροντα· καὶ οὔπω λήθετο χάρμης·*
> *κόψε γὰρ αὐτὸν ἔχοντα κατὰ στῆθος παρὰ δειρὴν*
> *ἰδνωθεὶς ὀπίσω, ὁ δ' ἀπὸ ἕθεν ἧκε χαμᾶζε*
> *ἀλγήσας ὀδύνῃσι, μέσῳ δ' ἐνὶ κάββαλ' ὁμίλῳ.*

Claudianus hoc augurium fere integrum recepit; versus tantum: *καὶ οὔπω λήθετο χάρμης ... ὀπίσω* in brevius contraxit his verbis: *reluctantem morsu partitur obunco.* Homeri autem, non Vergilii locum — dico vv. Aen. XI 751 sqq. — respexisse poetam facile ex eo colligitur, quod Vergilii loco non augurium, sed similitudo continetur et apud Vergilium illud: *truncatus decidit anguis* (*μέσῳ δ' ἐνὶ κάββαλ' ὁμίλῳ*), quae res ad portentum multum valet — cf. Verg. Aen. XII 247 sqq., prorsus omissum est. accedit etiam, quod hunc Claudiani locum statim sequitur similitudo illa e gruibus sumpta, quam haud obscura imitationis Homericae indicia prodere supra demonstravimus.

Restat, ut unam tantum recenseamus comparationem, qua concursus hominum ad celebrandum Stilichonem ortus confertur cum avibus phoenicem renatum admirantibus de cons. Stil. II 414 sqq.:

Digitized by Google

Sic ubi fecunda reparavit morte iuventam
et patrios idem cineres collectaque portat
unguibus ossa piis Nilique ad litora tendens
unicus extremo Phoenix procedit ab Euro,
conveniunt aquilae cunctaeque ex orbe volucres,
ut Solis mirentur avem: procul ignea lucet
ales, odorati redolent cui cinnama busti.

qua in similitudine comparationis tertium, quod dicitur, positum est in verbis: *conveniunt aquilae cunctaeque ex orbe volucres, Ut Solis mirentur avem.* quam rem cum Ovidius, qui in Met. XV 392 sqq. fabulam Phoenicis narrat, nullo commemoret verbo, alter poeta in examen vocandus est, qui idem argumentum tractavit. Lactantius enim, quem in conscribendo carmine suo de Phoenice ave secutum esse Claudianum inter viros doctos constat [1]), de ave Phoen. 155 sqq. haec exhibet verba:

Contrahit in coetum sese genus omne volantum,
nec praedae memor est ulla nec ulla metus.
alituum stipata choro volat illa per altum,
turbaque prosequitur munere laeta pio.

sententia mea etiam hoc firmatur, quod Claudianus de Phoen. av. v. 76 sq. aperte se ad Lactantium applicuit. de ceteris similitudinis partibus, utrum solum Lactantium an etiam Ovidium secutus sit poeta, nihil pro certo affirmari posse puto. hoc tantum addam Claudianum illius *fecunda reparavit morte iuventam* (v. 414) memorem de Phoen. av. v. 25 scripsisse: *emeritos artus fecunda morte reformat.*

Accedamus ad similitudines perlustrandas, quae ad apes spectant. hae bestiolae poetis aptam praebuerunt materiam ad illustrandam sedulitatis et multitudinis notionem. a quibus comparationibus paulum differt ea Claudiani, quae extat de Rapt. Pros. II 124 sqq., ubi Proserpina eiusque comites flores decerpturae *varios saltus* petunt ita, ut

credas examina fundi
Hyblaeum raptura thymum, cum cerea reges
castra movent fagique cava dimissus ab alvo
mellifer electis exercitus obstrepit herbis.

simillima comparatio invenitur apud Apollonium, I 879 sqq., ubi feminae Lemniae Argonautis circumfunduntur:

ὡς δ' ὅτε λείρια καλὰ περιβρομέουσι μέλισσαι
πέτρης ἐκχύμεναι σιμβλήιδος, ἀμφὶ δὲ λειμὼν
ἐρσήεις γάνυται, καὶ δὲ γλυκὺν ἄλλοτ' ἐπ' ἄλλον
καρπὸν ἀμέργουσιν πεποτημέναι· ὣς ἄρα ταί γε
ἐνδυκὲς ἀνέρας ἀμφὶ κινυρόμεναι προχέοντο.

ad hunc potissimum Apollonii locum Claudianus se applicuisse videtur, cum Lemniacae mulieres viros, ut apes flores, circumstrepentes

[1]) Conferas enim, quae hac de re disputavit Riese mus. Rhen. XXXI 446 sqq., cui adsentitur Birt mus. Rhen. XXXIII 8 sq.

Digitized by Google

(*ἐπέδραμον ... ἄλλοτ' ἐπ' ἄλλον ... ἀνέρας ἀμφὶ ... προχέοντο*) optime respondeant Claudiani virginibus: *varios tum cetera saltus Invasere cohors* (123 sq.). Apollonium autem ipsum redire ad Hom. *B* 87 sqq. res est notissima. Homerum deinde aperte imitati sunt Verg. Aen. VI 708 sqq. et Ovid. A. A. I 95 sqq. sed cum omnes hae similitudines ad notionem multitudinis significandam adhibitae sint, apud Claudianum vero eiusque auctorem, Apollonium, descriptio alacris agitationis summi sit momenti, has enumerare quam examinare malui.

Alteram comparationem, quae extat in Ruf. II 460 sqq. iam Ieep Gramlewiczium secutus (cf. p. 92) ad originem suam rectissime rettulit. Rufinum apud inferos animae, quas ille vivus haud iure necavit, infesto fremitu circumstant:

> veluti pastoris in ora
> commotae glomerantur apes, qui dulcia raptu
> mella trahit, pennasque cient et spicula tendunt,
> et tenuis saxi per propugnacula cunctae
> rimosam patriam dilectaque pumicis antra
> defendunt, pronoque favos examine vallant.

recta enim via petita est haec similitudo ex Stat. Theb. X 574 sqq.:

> Sic ubi pumiceo pastor rapturus ab antro
> armatas erexit apes, fremit aspera nubes;
> inque vicem sese stridore hortantur et omnes
> hostis in ora volant, mox deficientibus alis
> amplexae flavamque domum captivaque plangunt
> mella laboratasque premunt ad pectora ceras.

Statius autem ante oculos habuit Verg. Aen. XII 587 sqq., cuius locus aperte redit ad Apoll. II 130 sqq. ceterum his omnibus id commune est, quod — atque hac in re praeiit Homerus *M* 167 sqq. — apes in imagine inducuntur ad illustrandos milites contra hostes pugnantes. singulari autem ratione Claudianus aptissime utitur apibus, ut significet, quo modo animae occisorum Rufinum infesto fremitu circumstent. sed cum Statii locus praeter singulorum verborum maximum consensum in eo quoque cum Claudianeo congruat, quod fumigationis, quae apud Vergilium et Apollonium describitur, nulla fiat mentio, recte concludes inprimis Statium, non Vergilium aut Apollonium imitatum esse Claudianum.

Tertiam denique similitudinem, qua illustratur indoles ac natura Honorii, ex qua hic ad regnandum quasi natus esse videtur, ipse excogitasse putandus est Claudianus, de IIII cons. Hon. 380 sqq. Honorium enim adulescentulum sic venerari dicit cives, ut apes venerantur regem nascentem.

Digitized by Google

Postquam recensuimus imagines atque similitudines, quae ad deos, homines, animalia pertinent, eas pertractemus, quae e natura inanimata petitae sunt. ac primum agamus de iis, quarum materiam suppeditaverunt Claudiano plantae et arbores vel similia. e frequenti genere imaginum, quibus multitudinis notio adumbratur aristis et segetibus, metaphoricae, quas dicimus, elocutiones ortae sunt in Ruf. II 391: *seges undique ferri*, cui similes inveniuntur de III. cons. Hon. 135: *seges Mavortia ferri*, cf. carm. min. XX 12: *picturata seges*. cuius generis exempla eaque simillima apud solum Vergilium occurrere premendum esse mihi videtur: Aen. III 45 sq. *ferrea Telorum seges*, VII 526 *horrescit strictis seges ensibus*, XI 601 sq. *late ferreus hastis Horret ager*, XII 663 sq. *strictisque seges mucronibus horret Ferrea*. prorsus aliter comparata est imago, qua calvities Eutropii depingitur. legimus enim in Eutr. I 113 sqq.:

> miserabile turpes
> exedere caput tineae, deserta patebant
> intervalla comae, qualis sitientibus arvis
> arida ieiunae seges interlucet aristae. [1])

cui aliqua ex parte simile est, quod extat Ovid. A. A. III 249 sq.: *turpis sine gramine campus Et sine fronde frutex et sine crine caput*.

Pulcherrime deinde de cons. Stil. III 56 sq., 58: *non sic virginibus flores* (optantur) *Ut tuus aspectus populo* desiderium Stilichonis illustratur. quamquam flores apud nullum alium poetam in simili imagine commemorantur, valde dubito, num Claudiani locus ex ingenio huius poetae originem duxerit. Horatius enim Carm. IIII 5, 6 sq. de adventu Augusti e Gallia reversi haec dixit: *instar veris enim vultus ubi tuus Adfulsit populo, gratior it dies*. qua in imagine adhibenda iam Theocritus praeiit; cf. Id. VII 96 sq., VIIII 34, XII 3, 8.

Ad singulos flores transgredientes breviter agamus de imagine quadam tritissima; floribus enim, inprimis rosis, ad pulchritudinem adumbrandam inde ab Homero saepissime usi sunt poetae: cf. Hom. ζ 231, hymn. Hom. in Cer. 178, Sapph. fr. 85, Cat. LXIIII 87 sqq. sed silentio praeteriri nequeunt imagines duae, quae in carmine LXI. Catulli inveniuntur. versibus enim 21 sq. et 87 sqq. Iunia Aurunculeia myrto et hyacintho similis dicitur. Claudianus autem in suo epithalamio de Nupt. Hon. et Mar. 247 sqq. prorsus singularem quidem similitudinem adhibuit ad illustrandam Serenae et Mariae pulchritudinem:

> Ceu geminae Paestana rosae per iugera regnant,
> haec largo matura die saturataque vernis
> roribus indulget spatio; latet altera nodo
> nec teneris audet foliis admittere soles.

[1]) Cf. Catull. XXXXVIII 5.

Digitized by Google

excitari tamen potuit imaginibus Catulli, cuius epithalamium penitus memoria tenuisse Claudianum paulo infra videbimus. ceterum pervulgatus est imaginum usus, quibus rosae materiam praebuerunt: cf. Callim. hymn. V 27 sq., Ovid. Am. II 5, 37, Hor. Carm. IIII 10, 4 al. Claudianus autem de Nupt. Hon. et Mar. 265 Mariae faciem laudans dicit: *non labra rosae* (aequant). quamquam bis, LXIII 74, LXXX 1 *rosea labella* Catullus commemorat et nusquam alio loco simile quid occurrit, de imitatione in re tam simplici cogitari nequit. idem dicendum est de Epith. Pall. et Celer. v. 125 sq.: *matura tumescit Virginitas superatque ... lilia candor*, cui similis unus tantum locus invenitur, Prop. II 3, 10 *lilia non domina sint magis alba mea.* in eodem carmine de Nupt. Hon. et Mar. 266 legimus: *non crines aequant violae*, cuius imaginis usus ad Graecos revocandus est; cf. Alc. fr. 55, 1, Simon. Ce. fr. 18, 4, Pind. Ol. VI 30, Pyth. I 1, Isthm. VI 23.

Alias deinde imagines similitudinesque ad *flexipedes hederas* (Ovid. Met. X 99) pertinentes Romani petierunt e Graecorum carminibus; cf. Soph. Antig. 826 sq., fr. 783, Eur. Hec. 398, Med. 1213, Theocr. XX 21 sq. sequantur iam similitudines, quas huc spectantes Romani exhibent. Hor. Carm. I 36, 20 Damalim *lascivis hederis ambitiosiorem* appellat; apud Ovidium Met. IIII 365 Palmacis Hermaphroditum amplectitur *ut solent hederae longos intexere truncos.*[1]) sed iam progrediamur ad Claudianum, qui de Nupt. Hon. Aug. Fesc. IIII 18 sq. Honorium eiusque nuptam Mariam his alloquitur verbis:

> Tam iunctis manibus nectite vincula,
> quam frondens hedera stringitur aesculus.

hunc locum Zingerle p. 10 redire contendit ad Hor. Epod. XV 5 sq.: *artius atque hedera procera adstringitur ilex. Lentis adhaerens bracchiis.* at multo cum maiore probabilitatis specie Claudianeam similitudinem ad Catullum revocabimus. iam supra enim diximus Claudianum Catulli carmen LXI studiose lectitasse et cum uterque poeta simile argumentum tractet, imitationem Catulli iam per se facilius statuere possumus. neque deest apud hunc simillima imago. v. 31 sqq. Manlium sic alloquentem facit Aurunculeiam:

> Ac domum dominam voca
> coniugis cupidam novi,
> mentem amore revinciens.
> ut tenax hedera huc et huc
> arborem implicat errans.

accedit, quod praeter hanc imaginem in alia quoque adhibenda Claudianus Catulli vestigia pressisse videtur. versus enim, qui statim apud

[1]) Cf. Treb. Poll. Gall. 11, 8.

Digitized by Google

Claudianum sequitur, hic est: *quam lento premitur palmite populus.* Catullus autem in eodem carmine v. 102 sqq. haec praebet:

> Lenta quin velut adsitas
> vitis implicat arbores,
> implicabitur in tuum
> complexum.

denique, ut omnis removeatur dubitatio, in medio ponatur locus tertius, quem Claudianus ex eodem Catulli carmine deprompsit, dico versus de Nupt. Hon. et Mar. 340 sq.: *sic uterus crescat Mariae, sic natus in ostro Parvus Honoriades genibus considat avitis*, qui versus manifesto imitando expressi sunt ad Cat. v. 212 sqq. quae cum ita sint, similes imagines, quae apud alios poetas occurrunt, nullam omnino vim in Claudiani memoriam exercuisse veri simile est, veluti Ovid. Her. V 47 sq., Am. II 16, 41 sq., Stat. Silv. V 1, 46 sqq.

Venustam deinde similitudinem, qua Mariae et Serenae pulchritudo laudatur, Vergilius fundasse censendus est, qui Georg. II 18 sq. haec praebet: *etiam Parnasia laurus Parva sub ingenti matris se subicit umbra.* his enim verbis, quae iam W. Ribbeck, quem Gramlewicz et Ieep secuti sunt, attulit, Claudianus excitatus ad similitudinem conformandam est de Nupt. Hon. et Mar. 244 sqq.:

> Assurgit ceu forte minor sub matre virenti
> laurus et ingentes ramos olimque futuras
> promittit iam parva comas.

Frequentissimus inde ab Homero carum usus est similitudinum, quibus homines in proelio procumbentes arboribus conferuntur, quae aut fulmine ictae aut procellis fractae concidunt; cf. Hom. Δ 482 sqq., *E* 560, Λ 155 sqq., *N* 178 sqq., 389 sqq., Σ 414 sqq., Π 482 sqq., *P* 53 sqq., quos locos imitati sunt Eumel. Corinth. fr. 9, 3 sq., Hesiod. Scut. Herc. 421 sq., Soph. El. 97 sqq., Apoll. I 1003 sqq., III 1373 sq., IIII 1680 sqq., Verg. Aen. V 448 sq., Hor. Carm. IIII 6, 9 sqq., Sen. Herc. f. 1046 sqq., al. Claudianus quoque hac similitudine usus est ad illustrandam mortem Phoenicis in carmine de hac ave composito 30 sqq.:

> Tum multis gravior tandem subiungitur annis,
> lustrorum numero victus, ceu lapsa procellis
> ardua Caucasio nutat de culmine pinus,
> seram ponderibus pronis tractura ruinam:
> pars cadit assiduo flatu, pars imbre peresa
> rumpitur, abripuit partem vitiosa vetustas.

cum hac comparatione non ut locis poetarum, quos modo enumeravi, homines in proelio morientes illustrentur, Claudianus excitatus esse videtur exemplo Statii, qui in Silv. V 1, 150 sqq. Priscillam de vita decedentem sic depingit:

Digitized by Google

Carpitur eximium fato Priscilla decorem,
qualiter alta comam silvarum gloria pinus
seu Iovis igne malo seu iam radice soluta
deficit et nulli spoliata remurmurat aurae.

praeterea singulas descriptionis partes aperte sumpsit e Verg. Aen. II 626 sqq.[1]), ubi interitus Troiae simili ratione exornatur:

Ac veluti summis antiquam in montibus ornum
cum ferro accisam crebrisque bipennibus instant
eruere agricolae certatim; illa usque minatur
et tremefacta comam concusso vertice nutat,
vulneribus donec paulatim evicta supremum
congemuit traxitque iugis avolsa ruinam.

quam maxime denique Claudianeae comparationis nonnullae partes congruunt cum loco quodam Catulli, qui carm. LXIIII 105 sqq. hos exhibet versus:

Nam velut in summo quatientem bracchia Tauro
quercum aut conigeram sudanti cortice pinum
indomitum turben contorquens flamine robur
eruit, illa procul radicitus exturbata
prona cadit, late quast impetus obvia frangens,
sic domito saevam prostravit corpore Theseus.

Restat, ut breviter de nonnullis, quae huc referendae sunt, imaginibus disputemus. hasta enim Minervae, quae, ut Gesneri amplectar interpretationem, celeri circumactu multiplicata non unam arborem, sed silvam exhibet, vocatur de Rapt. Pros. II 25 *instar — silvae.* similis quoque imago ad spinas hystricis spectans legitur carm. min. XX 10 sq: *stat corpore toto Silva minax.* praeierunt autem in hac translatione simplicissima adhibenda Luc. VI 205, Sil, IIII 621, Stat. Theb. IIII 220 sq.; cf. ib. VIII 705.

Alia deinde similitudo inde ab Homero frequentissima sumpta est e multitudine foliorum, de Rapt. Pr. II 308 sq.: *conveniunt animae, quantas violentior Auster Decutit arboribus frondes.* notissimi enim sunt loci Homeri: *B* 467 sq., 800, *ι* 51, Apoll. IIII 216 sq. (Pind. Pyth. VIIII 46), Ovid. Met. XI 615, Sen. Oed. 600, Val. Fl. VI 167, Stat. Silv. III 3, 98 sq. cum Claudianus l. c. ingentem umbrarum numerum illustraverit, non sine aliqua veritatis specie concludes ab eo Vergilium respectum esse, qui Aen. VI 309 sq. multitudinem umbrarum, quas Aeneas comitante Scylla apud Acherontem flumen invenit, similiter adumbrat: *quam multa in silvis autumni frigore primo Lapsa cadunt folia.*[2])

[1]) Hunc locum Statius Theb. VIIII 532 sqq. respexit.

[2]) Ceteras quae apud Claudianum leguntur eius generis imagines brevissime hoc loco enumerabo: de cons. Stil. III 290 sq., de VI. cons. Hon. 77, in Eutr. I 111, carm. min. XXVI 46 (cf. Hor. Carm. III 9, 22).

Digitized by Google

Imaginibus similitudinibusque, quae ex plantis et arboribus petitae sunt, recensitis, ad eas transeamus enumerandas atque explicandas, quae pertinent ad terras quasdam et montes, harenam, metalla aliaque huius generis. veluti in Ruf. II 38 sqq. haec legimus:

omnis quae mobile Ponti
aequor et Hadriacas tellus interiacet undas,
squalet inops pecudum, nullis habitata colonis,
instar anhelantis Libyae, quae torrida semper
solibus humano nescit mansuescere cultu.

Libyam simili modo in imagine inductam inveni apud Stat. Theb. IIII 735 sqq.:

omnia caecis
ignis hausta sedent, nec spes umentis Olympi,
ceu flavam Libyen desertaque pulveris Afri
conlustrent.

ad verba autem Claudiani multo magis accedunt, quas de Libya Lucanus praeter alia dixit VIIII 690 sq., 696 sq., 857. [1])

Certius aliquid dici potest de vv. 205 sqq. in Manl. Theod. cons., ubi tranquillitas animi, quae erat in M. Theodoro, pulcherrime hac describitur similitudine:

nec te tot culmina rerum
aut tantum turbavit onus. sed ut altus Olympi
vertex, qui spatio ventos hiemesque relinquit,
perpetuum nulla temeratus nube serenum
celsior exsurgit pluviis auditque ruentes
sub pedibus nimbos et rauca tonitrua calcat:
sic patiens animus per tanta negotia liber
emergit.

qua in comparatione conformanda Claudianus neque usum huius similitudinis neque verborum ornatum sibi debet. Brutus enim apud Luc. II 271 sqq., dum Catonem a bello revocare studet, sic disputat:

nubes excedit Olympus
lege deum: minimas rerum discordia turbat:
pacem summa tenent.

alterum locum, quem ante Ieepium iam Barthius protulit, Stat. Theb. II 35 sqq., integrum exscribamus, ut imitatio manifesta sponte appareat:

Stat sublimis apex ventosque imbresque serenus
despicit et tantum fessis insiditur astris.
illic exhausti posuere cubilia venti,
fulminibus iter est; medium cava nubila montis
insumpsere latus, summos nec praepetis alae
plausus adit colles; nec rauca tonitrua pulsant.

---

[1]) Alias comparationes, quae singulares apud Claudianum sunt, quam brevissime enumerando absolvam: Carm. min. XIII 17 sq., in Eutr. II 565 sq., de Rapt. Pros. II 79 sq.

Digitized by Google

singularis denique imago apud apud Claudianum extat de VI. cons. Hon. Aug. praef. 23. *en princeps, en orbis apex aequatus Olympo.*

Iam explicemus alias duas similitudines, quae ad harenam pertinentes notioni multitudinis illustrandae inserviunt, cuius de imaginis usu, quae omnibus fere poetis omnium gentium communis est, certum quid statuere nemo nisi audacissimus sibi sumet. Claudiani locus extat de Rapt. Pros. II 310: *quantas ... torquet harenas.* imagines poetarum aetate priorum, quas inveni, verbo tantum attingam: Hom. *B* 800, I 385, Callim. hymn. III 252 sq., Cat. VII 3 sqq., Ovid. A. A. I 254, Met. XI 615, Trist. IIII 1, 55, V 1, 31, V 6, 43, Trist. I 5, 48. simili ratione instituta est altera imago, qua numerus ante oculos ponitur, qui artius definiri nequit. cuius generis exempla ab harena numero carente petita habes haec: Pind. Ol. II 108 sqq., Ol. XIII 46, Pyth. VIIII 46 sq., Cat. LXI 202 sqq. Vergilii locum, qui spectat ad multitudinem vinorum, Georg. II 105 sq.: *quem qui scire velit, Libyci velit aequoris idem Discere quam multae Zephyro turbentur harenae,* ideo exscripsi, quia in Claudiani imagine, quae extat in Eutr. I 32 sq.: *Libycae si discis harenas, Eutropii numerabis eros* nullum fere est verbum, cui non vel idem vel simillimum apud Vergilium respondeat.

Breviter duas imagines commemorabo, quae ad aurum fulvum et pretiosum pertinent. sic de Rapt. Pros. III 86 coma Cereris vocatur: *pulchrior auro Caesaries.* similes imagines investigantes mittamus eas, quibus alia res quam coma describitur, velut Ovid. Met. XIII 812, Hal. 110. sed non desunt, quae spectant ad crines auro similes, cf. Alcm. fr. 23, 17 sq., Verg. Aen. VIII 659, Sil. IIII 201 sq., Stat. Ach. I 162. verum quamquam tres, quae ultimo loco citatae sunt, imagines cum Claudianea valde congruunt, tamen de huius imaginis origine, quae sine dubio in sermone vulgari frequens fuit, certum quid statui nequit.

Multo maior est numerus imaginum, quibus aurum tamquam pretiosum inducitur. etiam in hac adhibenda Graeci praeierunt, cf. Theogn. 77 sq., Aesch. Choe. 360, Eur. Med. 542, Troad. 432, Eur. fr. 1033, Aristot. fr. 6, 7. cum omnibus fere his locis occurrat *χρείσσων χρυσοῦ* haec elocutio proverbii vim habuisse videtur. similia deinde exempla praebent Romani; cf. Cat. CVII 3, Hor. Epist. I 1, 52, Prop. I 14, 11, Ovid. Am. I 15, 34, Stat. Silv. III 4, 96, Tib. I 8, 31, denique Claud. de Bell. Poll. 607 sq.: *pretiosior auro Sanguis erat.* cum versuum clausulas similes vel easdem coniunctas cum altero argumento, quod ex sensu petitum est, ad imitationem statuendam valere iam multis locis demonstraverimus, non dubito hanc imaginem ad Ovidium revocare, qui tribus locis ea usus est: Met. VIII 79 *est auro pretiosior,* Am. III 8, 3 *quondam fuerat pretiosius auro,* A. A. III 299: *tibi sit pretiosior auro.*

Digitized by Google

Bis deinde margaritae, quas veteres a mari rubro arcessiverunt, in imagine inducuntur a Claudiano. sic carm. min. XXXVII 2 de crystallo, cui aqua inerat, haec legimus: *nec rubro vilior iste mari*, et carm. min. XXX 14 sq.: *superat ... quidquid Eois Indi litoribus rubra scrutantur in alga.* quibus similia inveni haec: Tib. II 2, 15 sq.: *nec tibi* (malueris) *gemmarum quidquid felicibus Indis Nascitur, Eoi qua maris unda rubet*, cf. praeterea Prop. I 14, 12, Sil. XII, 230 sq. singularis denique imago apud Claudianum inde orta est, quod de Rapt. Pros. II 94 sq. colores pratorum gemmatis Parthorum cingulis conferuntur.

Paulo fusius agendum est de antiquissima illa similitudine, quae ad ebur tinctum pertinet. quam Homerum primum adhibuisse nemo nescit Δ 141 sq., quibus versibus femora Menelai sanguine tincta depinguntur. deinde hanc imaginem inde a Vergilio ad vultum erubescentis pueri vel puellae significandum usurpaverunt poetae. Vergilius enim colorem Laviniae, quae, cum praesente Turno nuptiarum mentio esset facta, erubuit, sic adumbravit Aen. XII 64 sqq.:

> Accepit vocem lacrimis Lavinia matris
> flagrantis perfusa genas, cui plurimus ignem
> subiecit rubor et calefacta per ora cucurrit,
> Indum sanguineo veluti violaverit ostro
> si quis ebur.

quem locum ob id integrum exscripsi, quod Claudianus Vergilium respexisse certissimis argumentis demonstrari potest. nam Claudianus non solum prorsus eadem similitudine ad rem simillimam describendam usus est, sed etiam, quod attinet ad descriptionem, quae similitudini antecedit, e Marone pendet. Claudiani autem similitudo, quae spectat ad erubescentem Proserpinam subito Veneris eiusque comitum adventu perterritam, legitur de Rapt. Pros. I 270 sqq.:

> Cernit adesse deos imperfectumque laborem
> deserit et niveos infecit purpura vultus
> per liquidas succensa genas castaeque pudoris
> illuxere faces. non sic decus ardet eburnum,
> Lydia Sidonio quod femina tinxerit ostro.

recte igitur iam W. Ribbeck hunc locum ad Vergilii versus supra citatos attulit. quod autem Ieep praeterea conferri iussit Aen. I 590 sqq. valde improbo. nam et res, quae illustratur et quae comparatur, prorsus alia est. aliae sunt imagines[1]), quae, quod in universum ad huius similitudinis usum attinet, praeteriri nequeunt. sic apud Ovidium Met. IIII 332 vultus Hermaphroditi confertur *ebori tincto* et Am. II 5, 39 sq. color puellae consciae culpae praeter alias similitudines ex-

[1]) Simili modo Seneca Med. 99 sq. Creusam erubescentem describit.

Digitized by Google

plicatur hac: *aut quod .. Maeonis Assyrium femina tinxit ebur.* simili modo Stat. Ach. I 308 sqq. vultus Achillis amore Deidamiae inflammati describitur. hi loci omnes, qui ut iam diximus, ad Vergilium intercedente Homero redeunt, cum Claudianeo minus cognati sunt quam ille Maronis. quod autem Claudianus illud Vergilii, *si quis* ... artius definit his: *Lydia femina* ipsum Homerum ante oculos habuisse videtur: *γυνὴ Μῃονὶς ἠὲ Κάειρα*, aut eius imitatores, Ovid. Am. II 5, 40, vel Val. Flaccum, qui oculos Argi simili imagine depingit IIII 368 sq. cum hoc Valerii loco conferri possunt ea, quae leguntur Rapt. Pros. II 95 sq.: *quae vellera tantum Ditibus Assyrii spumis fuscantur aeni?*

Ceterum imagines, quibus ad colores illustrandos Tyrium ostrum materiam suppeditavit, sat simplices et pervulgatae sunt; cf. ad Claud. carm. min. XXXX 8 has: Hor. Epod. II 20, (Verg.) Cir. 387, Ovid. Met. VIIII 340, X 211, quibus locis adnumerandi sunt ii, quibus solo adiectivo purpureus vel puniceus eadem imago exprimitur.

Pervenimus ad aliud comparationum genus, quod petiit Claudianus e fulmine, tonitru, arcu caelesti, nubibus, imbre, grandine, pruina, nive. sic sententiam, quae notissima est ex Herod. VII 10 *ὁρᾷς δὲ ὡς ἐς οἰκήματα τὰ μέγιστα αἰεὶ καὶ δένδρεα τὰ τοιαῦτ' ἀποσκήπτει τὰ βέλεα* ... adhibuit poeta, ut Hadrianum clementiorem redderet, hunc enim carm. min. V 33 sqq. sic alloquitur:

> Iam iam suppliciis fessos humilesque serenus
> despice. quid tanta dignaris mole clientem?
> in brevibus numquam sese probat Aeolus undis,
> nec capit angustus Boreae certamina collis:
> Alpes ille quatit, Rhodopeia culmina lassat.
> incubuit numquam caelestis flamma salictis,
> nec parvi frutices iram meruere Tonantis:
> ingentes quercus, annosas fulminat ornos.

cum exemplum e fulmine petitum apud Claudianum eosque poetas, qui hac in re iam praeierunt, artissime coniunctum sit cum eo, quod ad ventos pertinet, totum locum iam in hac dissertationis parte tractare liceat. hos versus ad Horatium redire pro certo adfirmavit Zingerle p. 10. Horatius enim Carm. II 10, 9 sqq. auream mediocritatem commendans haec dicit:

> Saepius ventis agitatur ingens
> pinus et celsae graviore casu
> decidunt turres feriuntque summos
> fulgura montis.

at multo magis cum Claudiani loco congruunt nonnulli Senecae, Phaedr. 1123 sqq., Oed. 811, Agam. 93 sqq. Claudianum primum potissimum locum imitatum esse facile inde concludi potest, quod iam per se probabile est locum latius extensum atque dilucidam significantemque

Digitized by Google

descriptionem maiorem vim in legentis memoriam exercuisse quam aliam parvo vel nullo orationis ornatu instructam. atque iam obiter Claudiani et Senecae locos inspicienti maximus consensus, qui est inter singula descriptionis membra sponte apparet. nihil tamen impedit, quominus putemus Claudianum alio quoque loco ad conformandam suam sententiam excitatum esse, dico Ovid. Rem. Am. 369 sq.: *perflant altissima venti: Summa petunt dextra fulmina missa Iovis.* ad stabiliendam meam opinionem hoc maximi momenti est, quod tota Claudiani deprecatio ad Hadrianum multis flosculis ex Ovidii carminibus delibatis ornata est, et versus quoque, qui antecedunt 365, 367 sq. Claudianus respexisse videtur carm. min. VI 12 sqq.

Maxima deinde vis et celeritas fulminis multis poetis aptam comparationum imaginumque materiam suppeditavit. Claudianus vero huius generis exempla ea tantum exhibet, quibus imago solo adiectivo 'fulmineus' expressa est, de VI. cons. Hon. Aug. 469 et de Bell. Poll. 138 sq., cf. Sil. XII 461, XIIII 446, XVII 549.

Duas similitudines adhibuit Claudianum, quae ad tonitrum pertinent. in Ruf. II 220, 222 haec legimus:

> His dictis omnes una fremuere manipli,
> quantum non madidis elisa tonitrua Cauris.

cuius imaginis pervulgatissimae habes exempla: Aesch. Prom. 922, Eur. Phoen. 1039 sq., El. 748, Ovid. Met. XII 51, Sen. Herc. Oet. 801 sqq., Med. 344, Luc. VII 479. imitationis vestigia se offerunt in altera similitudine, qua fragor clipei a Marte concussi sic illustratur in Eutr. II 160 sqq.:

> Sic fatus clipeo, quantum vix ipse deorum
> arbiter infesto cum percutit aethera nimbo,
> intonuit: responsat Athos Haemusque remugit;
> ingeminat raucum Rhodope concussa fragorem.
> cornua cana gelu mirantibus extulit undis
> Hebrus et exsanguem glacie timor alligat Histrum.

similem rem descripsit Sil. XII 684 sq.:

> Rursus in arma vocat trepidos clipeoque tremendum
> increpat atque armis imitatur murmura caeli.

praeterea alium quoque locum sine ullo dubio respexit Claudianus, Val. Fl. V 163 sqq., quo non solum similitudo magno cognationis vinculo cum Claudianea coniuncta continetur, sed etiam, quod apertam imitationem prodit, similis descriptio, quae imaginem ipsam sequitur:

> Fit fragor, aetherias ceu Iuppiter arduus arces
> impulerit, imas manus aut Neptunia terras.
> horruit immensum ponti latus, horruit omnis
> Armeniae praetentus Hiber, penitusque recusso
> aequore Cyaneas Minyae timuere relictas.

Digitized by Google

Venio ad similitudinem ex arcu caelesti petitam, quae legitur de Rapt. Pros. II 98 sqq.:

> Nec sic innumeros arcu mutante colores
> incipiens redimitur hiems, cum tramite flexo
> semita discretis interviret umida nimbis.

cuius similitudinis antiquissima exempla exhibet Homerus *Λ* 27 sq., *P* 547 sq., post hunc poetam ea usi sunt Verg. Aen. V 88 sq., Ovid. Met. VI 63 sqq., Sen. Oed. 315 seq., Val. Fl. VIII 115 sq., Stat. Silv. IIII 3, 100. huc quoque referendae sunt descriptiones, quibus arcus caelestis non in imagine inducitur: cf. Verg. Aen. IIII 700 sq., V 657 sq., Georg. I 451 sqq., Ovid. Met. I 270 sq., XI 589 sqq., Claud. de Rapt. Pros. III 3. sed omnes similitudines, quas commemoravi, non ita comparatae sunt, ut hac in re, quae sponte ad conformandam imaginem se praebet, iure contendere possis Claudianum unam vel alteram ante oculos habuisse. aptissime ex locis, quibus arcus caelestis depingitur, conferri potest Verg. Aen. V 609 sq.

Accedamus ad similitudines imaginesque recensendas, quae ad imbres et nubes pertinent. desiderium Stilichonis praeter alias similitudines describitur de cons. Stil. III 56 sqq. hac:

> Non sic virginibus flores, non frugibus imbres
> prospera non fessis optantur flamina nautis,
> ut tuus aspectus populo.

cuius imaginis fundum iecisse Homerus putandus est, qui *Ψ* 598 sqq. gaudium Menelai sic illustrat:

> *ὡς εἴ τε περὶ σταχύεσσιν ἐέρση*
> *ληίου ἀλδήσκοντος, ὅτε φρίσσουσιν ἄρουραι·*
> *ὡς ἄρα σοί, Μενέλαε, μετὰ φρεσὶ θυμὸς ἰάνθη.*

sed mittamus hunc locum, quippe qui non ad imbrem, sed rorem spectet et gaudio non desiderio illustrando inserviat. ex omnibus autem similitudinibus, quibus imber inducitur, Aesch. Ag. 1345 sq., Pind. Ol. XI 2 sqq., Verg. Ecl. III 82 sq., Ovid. Rem. Am. 141 sq., quam maxime ad Claudiani locum quadrat Val. Flacc. VII 23 sqq., ubi Medea insano Iasonis amore per noctem excruciata reficitur aurora adpropinquante: *nec minus insomnem lux orta refecit amantem, Quam cum languentes levis erigit imber aristas, Gratave iam fessis descendunt flamina remis.* maximum autem imitationis indicium in eo positum est, quod apud utrumque poetam duae ad imbrem et prosperos ventos imagines coniunctae occurrunt. accedit haud spernenda similitudo, quae est inter Claudiani et Valerii versus: *prospera non fessis optantur flamina nautis*, et *Gratave iam fessis descendunt flamina remis.* videmus igitur hoc splendidissimo exemplo unam imitationem fulciri altera.

Digitized by Google

Ceterae imagines, quae pertinent ad imbrem, adhibitae sunt ad notionem multitudinis significandam. cum tales imagines sine dubio etiam in cottidiano sermone tritissimae fuerint, satis habeo locos Claudiani enumerare aliorumque poetarum similes adscribere: in Olybr. et Prob. cons. 43, Rapt. Pros. II 308 sq. coll. Verg. Aen. VIIII 668 sq., Georg. IIII 312 sq., Stat. Theb. VI 423, Silv. I 6, 21 sqq., ib. III 3, 97.

Certissima autem Statianae imitationis vestigia deprehendere mihi contigit in alia imagine, quae legitur de Nupt. Hon. et Mar. 296 sqq.: *nec signifer ullus Nec miles pluviae flores dispergere ritu Cessat.* cum tales imagines non tam frequentes sint apud veteres quam nostra aetate (nam unum tantum praeter Statii inveni similem locum ad nivem pertinentem, Lucr. II 627), iam per se imitationis probabilitas valde augetur. ne autem putes me hoc non satis firmo argumento contentum esse, iam perlegas quaeso Statii imaginem, quae extat Silv. I 2, 19 sqq.: *nec blandus Amor nec Gratia cessat Amplexum niveos optatae coniugis artus Floribus innumeris et olenti spargere nimbo.* hoc quoque quam maxime velim respicias hanc imaginem occurrere in Statii Epithalamio in Stellam et Violentillam, quod in conscribendo suo Epith. Pall. et Cel. ante oculos habuisse Claudianum recte contendit Kulla p. 23. idem autem cadit in Epith. de Nupt. Hon. et Mar. conferas quaeso Statii versus 65 ... 102 cum Claudiani vv. 111 ... 121. quibus expositis imitationem luculentam esse non negabis.

Una tantum extat imago apud Claudianum, qua e grandine petita celeritas significatur. legimus enim Bell. Poll. 174 sq. de Getis: *grandinis ... ritu per devia rerum Praecipites per clausa ruunt.* cum omnibus fere locis, quibus grando in imagine inducitur, multitudo significetur, solus Homerus in examen vocandus est, qui *O* 170 sqq. simillimo modo grandine usus est. non minus usitatae erant imagines, quibus de nive depromptis albus color indicatur. sic Claudianus in Epith. Pall. et Cel. 125 sq. Celerinam laudans canit: *matura tumescit Virginitas superatque nives ... candor.* quae imago cum ita trita sit, ut de fonte prorsus nihil dici possit, alias eius modi poetarum imagines, quam brevissime enumerabo: Hom. *K* 437, Catull. LXXX 2, Verg. Aen. XII 84, Ovid. Met. VIII 373, Am. III 7, 8, Sil. XIII 116. huc quoque referendi sunt loci, quibus haec imago solo adiectivo 'niveus' exprimitur. aliam autem imaginem, quae ad nivem puram vel non calcatam pertinet, Claudianus sine dubio ex Ovidio mutuatus est, apud quem solum huius generis exempla inveniuntur. conferas quaeso de cons. Stil. III 289, ubi *nitor* cervorum Dianae *par intactis nivibus* vocatur, hos Ovidii

Digitized by Google

locos Her. XV 145, Am. III 5, 11 sq. (cf. Met. II 852 sq.), ex Pont. II 5, 37 sq.[1])

Singulares denique imagines apud Claudianum inde ortae sunt, quod pruina in imagine inducta est. recte enim Gesnerus ad Rapt. Pros. III 89 sq.: *non cessura pruinis Membra* haec adnotavit: comparatio eo iucundior, quo rarior; nec enim minus candida est pruina nive, qua omnes in hac re utuntur. altera similitudo extat de Nupt. Honor. Aug. et Mar. 265 sq.: *non colla pruinae ... aequant.* tertia deinde, quae legitur de VI. cons. Hon. Aug. 476, spectat ad equos Rhesi, quorum: *impetus excessit Zephyros candorque pruinas.* Rhesi quidem equos simili modo scriptor Rhes. 303 sq. commemorat et Catull. LV 26. verum Claudianum non hos poetas, sed ipsum Homerum, ex quo hi loci fluxerunt, respexisse luce clarius est. nam ad verbum fere expressit *K* 437 *λευκότεροι χιόνος, θεῖειν ἀνέμοισι ὁμοῖοι.* cum imitatio per se clamet, necesse non est, ut addamus Claudiani versum ea comparatione contineri, qua Stilichonis virtus Ulixis et Diomedis factis anteponitur, versibus inde a 470—480, quos iam supra ad Homerum revocavimus. quem in depingendis equis niveis secutos esse Ovidium Met. VIII 373 sq. atque inprimis Vergilium Aen. XII 84 non est quod pluribus exponam.

Quibus expositis iam accedamus ad novum similitudinum genus, quod Claudianus petiit e fluminibus. ac primo loco duae tractandae sunt comparationes ad torrentem spectantes, quo multi poetae ad celeritatem illustrandam usi sunt; cf. Hom. *Π* 389 sqq., Hes. inc. sed. fr. 216, Aesch. Sept. 84 sq., Arat. Phaen. 45 sq., Verg. Aen. X 603, XII 523 sqq., Hor. Carm. IIII 2, 5 sqq., Sat. I 10, 62, Ovid. Am. I 7, 43, Met. III 79, XIII 800, Sil. III 307, XV 715, XVII 122 sqq. quod Claudianus de Rapt. Pros. II 198 sq. *torrentius amne Hiberno ... ruunt* (equi Plutonis) hibernum amnem in comparationis usum convertit, fortasse Horatii exemplum secutus est, qui Sat. I 7, 26 sq. haec praebet: *ruebat Flumen ut hibernum.* conferas praeterea Sil. XV 572 sqq., et Stat. Theb. VI 407. qua in re iam Homerum praeiisse nemo nescit *E* 87 sqq. altera similitudo, quae pertinet ad Rufinum, cui solus Stilicho resistere ausus est, extat in Ruf. I 267 sqq.:

> hucusque minatus
> haerebat retroque fuga cedebat inerti.
> haud secus hiberno tumidus cum vertice torrens
> saxa rotat volvitque nemus pontesque revellit,
> frangitur obiectu scopuli quaerensque meatum
> spumat et elisa montem circumtonat unda.

[1]) His duobus locis, quibus pectus nive candidius describitur, fortasse Claudianus ad imaginem supra tractatam, Epith. Pall. et Cel. 125 sq., conformandam excitatus est, qua eadem res similiter illustratur.

tres inveni locos, quibus similis res eadem fere similitudine describitur. Homerus sane Aiaces Troianis resistentes sic illustrat *P* 747 sqq.:

ὥς τε πρὸν ἰσχάνει ὕδωρ
ὑλήεις, πεδίοιο διαπρύσιον τετυχηκώς,
ὅς τε καὶ ἰφθίμων ποταμῶν ἀλεγεινὰ ῥέεθρα
ἴσχει, ἄφαρ δέ τε πᾶσι ῥόον πεδίονδε τίθησιν
πλάζων· οὐδέ τί μιν σθένεϊ ῥέοντες. [1])

sed multo magis quadrat ad Claudiani locum Statii locus, Theb. III 671 sqq., ubi rixa Amphiarai et Capanei nocte intercedente sedatur:

Ut rapidus torrens, animos cui verna ministrant
flamina et exuti concreto frigore montes,
cum vagus in campos frustra prohibentibus exit
obicibus, resonant permixto turbine tecta,
arva, armenta, viri, donec stetit improbus alto
colle minor magnoque invenit in aggere ripas.

quam maxime denique similitudo Claudianea congruit cum Valerii Flacci comparatione, qua Colaxes post multas caedes ab Iasone interfectus hunc in modum describitur VI 631 sqq.:

Ille volat campis immensaque funera miscet
per cuneos, velut hiberno proruptus ab arcu
imber agens scopulos nemorumque operumque ruinas,
donec ab ingenti bacchatus vertice montis
frangitur inque novum paulatim deficit amnem.

quod autem apud Claud. v. 270 vehementia amnis hiberni illustratur [2]), ille vel ad solum Valerium (v. 633) sese applicuit vel ad Hom. *E* 87 sqq. ceterum huius descriptionem etiam alii poetae imitati vel potius aemulati sunt; cf. Lucr. I 284 sqq., 288 sq., Verg. Aen. II 305 sqq., 497 sq., Hor. Carm. III 29, 36 sq., Ovid. Fast. II 221 sq., Met. I 286 sq., III 80, Sil. IIII 525.

Ad singula flumina quaedam transgredientes breviter perstringamus imagines, quibus Probus *aurea dona vomens* confertur Tago, Hermo, Pactolo, in Olybr. et Prob. cons. 48 sqq. deinde de cons. Stil. III. Stilichonem celebrans haec dicit poeta v. 231 sq.: *tua copia vincit Fontem Hermi, tactumque Midae, pluviamque Tonantis,* ad quos versus conferendi sunt antecedentes 226 sqq. trita denique atque pervulgata erat apud Romanos similitudo e Maeandro petita, quam etiam scriptores prosaici usurpaverunt. quodsi simile quid apud Sen. Herc. f. 683 sqq. et Sil. VII 139 sq. legimus, de imitatione minime cogitandum est. multo autem maiorem probabilitatem habet imitatio

[1]) Homerus, quem Hesiodus secutus est, eandem rem etiam alia similitudine expressit e lapide de monte currente petita, cf. *N* 136 sqq., Hes. Scut. Herc. 437 sqq.

[2]) Cf. quoque Claud. de Manl. Theod. cons. 237 sq.

Digitized by Google

loci Ovidii, qui Met. VIII 162 sqq. labyrinthum a Daedalo exstructum imagine venustissima, quae ad Maeandrum pertinet, illustravit. labyrinthum autem et Maeandrum coniunxit Claudianus in imagine, quae extat de VI. cons. Hon. 632 sqq. breviter tangemus locum huc spectantem, quem e Vergilio mutuatus esse videtur Claudianus. Maro enim Aen. VIIII 30 sqq. exercitum in ordines dispositum et per campum tranquille incedentem confert cum Gange et Nilo sedate fluentibus. eandem similitudinem ad Vergilii exemplum adhibuit Claudianus, de Manl. Theod. cons. 232 sqq. Claudianus vero hoc exemplum e Vergilio deprompsit ita, ut Maronis similitudinem amplificaret tertio flumine, Danubio, addito et, quod Vergilius de placido et sedato motu exercitus iter facientis dixit, ad tranquillitatem animi transferret.

His imaginibus similitudinibusque apte subiungemus eas, quae spectant ad mare. cuius natura, ex qua numquam augetur nec redundat, aptam praebuit Claudiano materiam ad depingendum Rufini animum insatiabilem, in Ruf. I 183 sqq.:

> Ac velut innumeros amnes accedere Nereus
> nescit et undantem quamvis hinc hauriat Histrum,
> hinc bibat aestivum septemo gurgite Nilum,
> par semper similisque meat, sic fluctibus auri
> expleri calor ille nequit.

de hac maris natura egregie disputavit Lucretius VI 608 sqq., eaque Callimachus, hymn. VI 88 sqq., ad describendam Erysichthonis insatiabilem et rabidam famem usus est. sed mittamus hos locos, cum duae praesto sint similitudines Ovidianae, quas Claudianus aperte ante oculos habuit. Ovidius enim Erysichthonis famem, quae expleri nequit, praeter aliam comparationem illustrat hac Met. VIII 826 sqq.:

> Utque fretum recipit de tota flumina terra
> nec satiatur aquis, peregrinosque ebibit amnes:
> sic epulas omnes Erysichthonis ora profani
> accipiunt poscuntque simul.

vix admonitione indiget imitationem quam maxime eo firmari, quod uterque poeta simillimam rem, hominis cuiusdam animum insatiabilem, prorsus eadem similitudine depinxit. deinde hanc similitudinem Ovidii eo facilius memoria tenuit Claudianus, quod ille etiam Met. IIII 439 sqq. eandem comparationem exhibuit:

> Mille capax aditus et apertas undique portas
> urbs [1]) habet, utque fretum de tota flumina terra,
> sic omnes animas locus accipit ille, nec ulli
> exiguus populo est, turbamve accedere sentit.

[1]) Dicit Stygiam.

Digitized by Google

etsi enim Ovidianum: *turbamve accedere sentit* de urbe Stygia dictum sit, tamen Claudiani verba *innumeros amnes accedere Nereus nescit* ex hoc fluxisse vix negabis. quae cum ita sint, Lucani locum V 336 sq. omittamus, quo eadem natura maris ad rem prorsus aliam illustrandam adhibetur. minus certa fontis vestigia inveni in similitudine, qua motum ac strepitum post orationem, quam habuerat Allecto in Furiarum concilio, ortum sic depingit poeta in Ruf. I 70 sqq.:

> ceu murmurat alti
> impacata quies pelagi, cum flamine fracto
> durat adhuc saevitque tumor dubiumque per aestum
> lassa recedentis fluitant vestigia venti.

simillima ratione mare, quod post procellam subsistit quidem, tamen nondum prorsus sedatum est, in similitudinis usum converterunt Ovidius Fast. II 775 sq. Seneca Herc. Oet. 710 sqq., Lucanus V 217 sqq., sed alius ad aliam rem illustrandam. quorum loci cum ad Claudiani versus omnes pari modo accedant, similitudinem Claudiani ad unum vel alterum poetam solum revocare non audeo, sed satis habeo has similitudines breviter enumerare. restat, ut commemorem Statium Theb. VII 86 sqq. ex eadem maris natura similitudinem quandam petiisse, quam cum minus ad Claudiani versus quadret, missam faciamus. huic similitudini adnectere iuvat aliam, qua Claudianus clangorem strepitumque, qui ortus erat post orationem, qua milites adhortatus erat Stilicho, ut domum reverterentur, sic exprimit, in Ruf. II 220 sqq.:

> His dictis omnes una fremuere manipli,
> quantum non Italo percussa Ceraunia fluctu.

qua in imagine adhibenda Claudianus secutus esse videtur Homerum, qui *B* 394 sqq. Troianos oratione ab Agamemnone habita clamantes facit, sicut fluctus mugiunt ad litora allisi: *ὣς ἔφατ' 'Αργεῖοι δὲ μέγ' ἴαχον, ὡς ὅτε κῦμα ἀκτῇ ἐφ' ὑψηλῇ ὅτε κινήσῃ Νότος ἐλθών, προβλῆτι σκοπέλῳ.* addas quoque *B* 209 sq.: *ἠχῇ (ἐπεσσεύοντο) ὡς ὅτε κῦμα πολυφλοίσβοιο θαλάσσης αἰγιαλῷ μεγάλῳ βρέμεται, σμαραγεῖ δέ τε πόντος.* aliorum poetarum similitudines, quae magis minusve ex Homero pendent, non ita comparatae sunt, ut iure contendere queas Claudianum ad has sese applicuisse. breviter igitur eas enumerabo: Eur. Herc. f. 861, Apoll. III 1369 sq., Verg. Georg. IIII 262, Val. Fl. II 453, VII 581 sq., Stat. Theb. VI 806 (III 593 sq.).

Sequantur nonnullae imagines simplicissimae ac brevissimae, quas Claudianus partim ex aliis poetis sumpsit, partim ipse excogitavit. sic Britanniae amictus de cons. Stil. II 249 vocatur: *caerulus Oceanique aestum mentitus.* qua in imagine adhibenda comitantur Claudianum Lucretius IIII 1127 et Ovidius, A. A. III 148, 177. simili deinde imagine Claudianus utitur Bell. Poll. 320 et carm. min. XXVI 27 sq. breviter

Digitized by Google

quoque absolvamus imagines duas, quae huc pertinent. quarum una extat de VI. cons. Hon. 498 deprompta de maris natura, quod certis temporibus crescere et decrescere videtur. sic Padi fluminis ostia vocantur: *Oceani lunaribus aemula damnis.* simile quid Luc. X 215 sqq. de Nilo dicit: *Nilus fonte soluto Exit, ut Oceanus lunaribus incrementis Iussus adest.* altera autem imago coniuncta cum alia legitur carm. min. XXVII 38 sq.

Valde adamaverant poetae imagines, quibus mare utpote incertum et infidum adhibetur ad significandam animi inconstantiam. Claudianum quoque similem imaginem, sed de freto quodam famoso sumptum exhibet in Ruf. I 91: *Euripi refluis*[1]) *incertius undis.* antiquissimum huius imaginis exemplum praebet Simonides Am. fr. 7, 37 sqq., ubi feminae inconstantia cum mari confertur similitudine latius extensa. similes apud alios poetas occurrunt; cf. Ovid. Met. XIII 798, Her. XVII 185, Sen. Herc. f. 170, Stat. Theb. VI 306. quod hi in universum de mari dixerunt, ad Carpathias undas et Syrtes Propertius transtulit: II 5, 11, II 9, 33. Euripum denique Sil. XIIII 143 sq. simili imagine induxit. comparationem deinde quam *ἀπὸ τοῦ ἀδυνάτου* vocant, huc spectantem excogitavit Sen. Herc. f. 377 sq. quem num Claudianus secutus sit, pro certo adfirmari nequit.

Restat, ut de duabus imaginibus agamus, quae e maris fluctibus petitae magno numero significando inserviunt. Claudianus enim de Rapt. Pros. II 310 apud inferos tot convenisse animas dicit *quot frangit* (auster) *fluctus.* simillima quidem ratione Sen. Oed. 603, 607 multitudinem umbrarum describit: *fluctusque non tot frangit Ionium mare, Quot ille*[2]) *populos vatis eduxit sonus.* sed haec imago, quippe quae ultro se praebeat, frequentior et simplicior est, quam ut certa imitationis indicia prodere possit. apud Homerum tales imagines non inveniuntur; nam Δ 422—428, quos versus Verg. Aen. VII 526—530 respexit, non tam multitudo quam motus militum in proelium pro-

---

[1]) Hanc lectionem cum Gesnero recepi; Ieep coll. in Ruf. II 38 *mobile Ponti aequor* coniecit *Euxini flavis.* sed hoc loco nihil prorsus demonstratur; nam Pontum Euxinum saevis saepe procellis agitari res erat notissima. deinde quid hoc *flavis* sibi vult? flavus, quod sollemne est Tiberis epitheton, cf. Verg. Aen. VII 31, VIIII 816, Hor Carm. I 2, 13, I 8, 8, II 3, 18 Ovid. Met. XIII 448, de flumine dici potest, sed num etiam de mari, valde dubito. verum, etiamsi hoc mittamus, adiectivum flavus vel aliud ad significandum maris colorem adiectum minus quadrat. loci autem sensu quam maxime commendatur illud: *refluis,* quod aptissime coniungitur cum Euripi undis; cf. Sen. Herc. f. 377 sq., Tro. 838, Luc. V 234 sqq., Sil. XIIII 143 sq. denique, ut mihi lectionem *Euripi refluis* praeferendam esse concedas, legas quaeso Statii Theb. VII 333 sq.: *refluumque meatu Euripum.*

[2]) Tiresiam dicit.

Digitized by Google

ficiscentium cum mari fluctuante confertur. sed exempla non desunt, veluti Phryn. fr. 3 (Bergk. III p. 561): *σχήματα δ' ὄρχησις τόσα μοι πόρεν, ὅσσ' ἐνὶ πόντῳ κύματα ποιεῖται χείματι νὺξ ὀλοή*, Apoll. IIII 214 sq.: *ὅσσα δὲ πόντου κύματα χειμερίοιο κορύσσεσαι ἐξ ἀνέμοιο*, quam imaginem adumbravit Verg. Aen. VII 718 sq. conferas praeterea Ovid. Trist. V 6, 44, Val. Fl. VI 163, Sil. VIII 428 sq. altera imago, quae coniuncta cum alia ad harenam spectante, de qua supra diximus, legitur in Eutrop. I 32 sq.: *si pelagi fluctus, Libyae si discis harenas, Eutropii numerabis eros*, ad Vergilium redire videtur, Georg. II 105 sq.: *quem qui scire velit, Libyci velit aequoris idem Discere, quam multae Zephyro turbentur harenae.* ipse autem Vergilius fortasse ante oculos habuit: Theocr. Id. XVI 60 sq., 63. minus apte autem conferri potest Ovidii locus, Trist. V 2, 27 sq., ubi poeta de malis, quibus premitur, haec dicitur: *quae si componere coner, Icariae numerum dicere coner aquae.*

Hac similitudinum serie tractata ad eas progrediamur explicandas, quibus materiam comparationis venti suppeditaverunt, qui adhibentur a poetis ad adumbrandam celeritatem et vehementiam, qua aliquid fit. apud Claudianum quoque tales imagines nonnullis locis occurrunt. quae cum ita comparatae sint, ut non in universum venti, sed zephyrus, eurus, auster comparando inducantur, breviter absolvam eas, quibus vel ventus et aura vel etiam aquilo materiam imaginis praebuit: Hom. *K* 437, *M* 207, *Π* 149, *Ω* 342 (*α* 98, *ε* 46), *β* 148, *ξ* 20 al., Hes. Theog. 268, Scut. Herc. 345, Tyrt. fr. 12, 4, Soph. Antig. 354, Oed. reg. 466, Oed. Col. 1081, Eur. Bacch. 873, Phoen. 163, Iph. Aul. 206, Hel. 1314, Pind. Pyth. IIII 210, Nem. III 45, Theocr. Id. VIII 54, Callim. hymn. III 94, Apoll. II 267,IIII 221, 875, 1366, Verg. Georg. III 193, Aen. II 794 (VI 702), V 242, 319, VII 807, X 248, XII 84, 334, 345, 923, Ovid. Met. I 502, III 209, XIII 806, Sen. Phaedr. 736 sq., Sil. X 10 sq., XIII 242, XIIII 488, XV 715, XVI 336, 500 sq., 562, Stat. Theb. I 293, IIII 312, VI 288, 580. sed ne legentibus taedium pariam, iam transgrediamur ad rem propositam. zephyrus enim quinque locis occurrit: de cons. Stil. III 252, de Rapt. Pros. III 266, carm. min. XVIIII 21. duas, quae restant, eiusmodi imagines paulo infra tractaturus sum. apud alios quidem poetas similes leguntur imagines, quas adnotabo, sed ita, ut in hac re simplicissima certum quid de fonte statuere nolim. legas igitur Hom. *T* 415, Apoll. II 276, Verg. Aen. XII 334, Stat. Silv. III 1, 156.

Sequantur duae imagines huc referendae. Iris enim. Rapt. Pros. III 3 sq.: *colorato Zephyros illapsa volatu Numina conclamat pelagi.* hoc *Zephyros illapsa volatu* valde redolet Homerum, qui similibus versibus Irim iussa deorum exsequentem commemorat omnibusque fere

Digitized by Google

huius generis locis sollemne Iridis epitheton *ποδήνεμος ὠκέα* vel *ἀελλέπος*[1]) addit, quod Claudianus in usum imaginis ad Zephyrum pertinentis convertisse veri simile est. apud alios poetas similia quaesivi, at spem laboremque successus destituit. altera imago e recordatione eiusdem poetae orta est. dico enim locum, cuius fontem Homericum certissimis argumentis iam supra illustravimus, de VI. cons. Hon. 476, ubi de equis Rhesi legimus: *impetus excessit Zephyros candorque pruinas.* unde Claudianus hunc versum sumpserit, ipse, ut ita dicam, profitetur versu, qui antecedit: *quorum, si qua fides augentibus omnia Musis.* Homerus enim de iisdem equis *K* 437 canit: *λευκότεροι χιόνος, θείειν δ' ἀνέμοισι ὁμοῖοι.* alia argumenta, quibus haec omnium luculentissima imitatio firmatur, hoc loco repetere supervacaneum est. hoc tantum addere mihi liceat Claudianum non sine Homeri exemplo zephyrum in imagine induxisse; meminisse enim videtur versus *T* 415, in quo eadem imago ad celeritatem Achillis equorum describendam adhibita est: *νῶι δὲ καί κεν ἅμα πνοιῇ ζεφύροιο θέοιμεν.* quibus argumentis luce clarius est Claudianum ipsum Homerum, non huius imitatorem, Vergilium, ante oculos habuisse in Rhesi equis depingendis. Vergilii autem locus, qui legitur in Aen. XII 84, ad equos Turni spectat.[2])

Eurus deinde in Olybr. et Prob. cons. 100 sq. celeritatem Romae deae repraesentat: *simul emissis rapido velocior Euro Fertur equis.* quamquam exempla, quae apte conferri possunt, plurima eaque simillima sunt, certum quid de fonte statuere non audeo, cum eadem imago in simili versus clausula saepius occurrat. satis igitur habeo locos huc pertinentes commemorare: Hor. Carm. II 16, 24 (cf. IIII 4, 42 sqq.), Verg. Aen. VIII 223 (XII 733), Sil. II 173, III 292, IIII 6, Stat. Theb. VI 521, quibus locis omnibus in versus clausula *ocior* (*velocior, citatior*) *Euro* legitur. adde Ovid. Met. II 160 et Stat. Theb. VI 310.

Austrum denique usurpavit Claudianus de Rapt. Pros. II 200 ad vehementiam equorum Plutonis depingendam, qui *impetum Austri* superant. si formam spectamus, nullum aliud exemplum invenimus, quo auster commemoratur; e noto autem similes petierunt imagines Vergilius Aen. V 242, XII 334, Stat. Theb. I 293, VI 310.

---

[1]) Conferas inter alios locos hos: *B* 786, *E* 368, *Ω* 95, 77,159, *Θ* 409, *ω* 92.

[2]) Ceterum multi poetae in usurpandis imaginibus, quae ad celeritatem equorum adumbrandam e ventis petitae sunt, Homerum eiusque imitatores secuti sunt; cf. *Π* 149, *T* 415 coll. hymn. Hom. in Ven. 218, Simon. Ce. fr. 7, Soph. Oed. reg. 466, Pindar. Nem. I 6, Apoll. I 1158, IIII 221, 1366, Verg. Georg. III 193, 196 sqq., Aen. XII 334 (XII 345), Ovid. Met. II 160, Sil. III 292, XVI 336, Stat. Theb. VI 288 (VI 521). nihilominus imitatio Homerica, quam supra apud Claudianum statuimus, hac exemplorum nube non infringitur.

Digitized by Google

Huic imagini subiungamus aliam, qua violentus et vehemens Rufini animus componitur cum *austris acribus*; cf. Ruf. I 90. simillima quidem ratione apud Senecam solum, Med. 583 sq., auster adhibetur ad rabiem describendam; sed cum hic locus, quod ad structuram imaginis attinet, cum Claudianeo non consentiat, et tales similitudines tritae atque simplices sint [1]), de imitatione cogitandum non est.

Hanc seriem imaginum e ventis petitarum absolvamus similitudine venustissima, qua desiderium Stilichonis sic illustratur de cons. Stil. III 57 sq.: *non sic ... Prospera non fessis optantur flamina nautis, Ut tuus aspectus |populo.* quam imaginem Claudiani ad verba Val. Fl. VII 25: *gratave iam fessis descendunt flamina remis* redire iam supra e manifesto verborum consensu et ex eo conclusimus, quod apud utrumque poetam huic e vento depromptae imagini alia similis antecedit, quae ad imbres spectat. [2]) quod vero Claudianus ventis prosperis ad describendum Stilichonis desiderium usus est, qua in re non prorsus cum Valerio congruit Claudiani imago, Homerum respexisse videtur, qui *H* 4 sqq., simillima ratione magnam laetitiam voluptatemque significat, quam Troiani e reditu Hectoris et Paridis perceperunt. quis enim non videt tertium, quod dicimus, comparationis Homericae: *ναύτῃσιν ἐελδομένοισιν* valde conspirare cum Claudiani: *optantur nautis?* quae cum ita sint, alios locos, quos similes inveni, omittere possumus, velut Aesch. Ag. 864, Eur. Orest. 727 sq., Cat. LXVIII (LXVIIII) 63 sqq. (23 sqq).

Priusquam transgrediamur ad similitudines, quae pertinent ad sidera, duas imagines inseramus, quae petitae sunt ex ignis natura et splendoris adumbrandi causa adhibitae sunt a Claudiano. quarum una spectat ad Martis clipeum, Gig. 77 sq. cum omnes fere epici hac imagine ad summum cum armorum tum clipei splendorem describendum usi sint, putidum esse videtur de fonte inquirere. breviter igitur locos similes adferam iis omissis, qui ad aliam rem significandam pertinent: Hom. *E* 4, *Σ* 610, *T* 375 sqq., *X* 134 sq., Hes. Scut. Herc. 60, 451, Verg. Aen. VIII, 620 sq., 680 sq., *X* 270 sq., Stat. Theb. IIII 132 al. non minus tritae imagines erant, in quibus ignis vel flamma oculorum pulchro ardori depingendo inservit. sic de Nupt. Hon. et Mar. 266 legimus: (Mariae) ... *non* (aequant) *lumina flammae.* conferas praeterea de Rapt. Pros. III 87. Laud. Ser. 121 sq. (carm. min. XX 7, XIX 17 sq.), de cons. Stil. I 45. cum hac imagine, qua pulchritudo ocu-

[1]) Conferas enim Hom. *Λ* 747, *M* 40, 375, Ibyc. fr. 1, 6 sqq., Soph. Ant. 135 sqq., Eur. Phoen. 1154, Verg. Aen. X 603 sq., Hor. Carm. I 33, 15 sq. (coll. I 3, 15 sq.), III 9, 23 (coll. III 3, 4 sq.), Ovid. Her. XI 9.

[2]) Pindari locus, qui extat Ol. XI 1 sqq.: *ἔστιν ἀνθρώποις ἀνέμων ὅτε πλείστα χρῆσις, ἔστιν δ' οὐρανίων ὑδάτων ὀμβρίων* ... comparari quidem potest, sed, cum ad rem prorsus aliam spectet, de imitatione minime cogitandum est.

Digitized by Google

lorum ardentium significatur, apte quidem conferri potest Sil. XV 27, ubi de Voluptatis deae oculis haec dicta sunt: *iaciebant lumina flammas.* sed cum similis versus clausula saepius occurrat, veluti Verg. Aen. VI 300, Ovid. Met. XI 368, Sil. XI 219, XVII 410 et huius generis imagines, quae ad oculos pertinent, frequentissimae sint[1]), nemo nisi audacissimus de imitatione cogitabit.

Imagines atque similitudines, quae in Claudiani carminibus inveniuntur, absolvamus iis, quas ad corpora caelestia pertinent. ac primo loco recensendae sunt imagines, quae ex sole petitae splendorem significant. cuius generis exempla tria exhibet Claudianus. quarum una legitur in Olybr. et Prob. cons. 94 sq.: *et formidato clipeus* (sc. Romae deae) *Titana lacessit Lumine, quem tota variarat Mulciber arte.* quamquam haec imago simplicissima sponte se ei obtulit, apud poetas romanos rarissime ea invenitur[2]), velut Sen. Phaedr. 379 et ib. 654. at alius locus magis quadrat ad Claudiani versus, Stat. Theb. III 225 sq., ubi clipeus Martis hunc in modum illustratur: *clipeique cruenta Lux rubet, et solem longe ferit aemulus orbis.* multo autem frequentius hac imagine usi sunt Graeci[3]) inde ab Homero, cuius notissimum *ἠέλιος ὣς* imitando fortasse expressit Claudianus cf. σ 296, τ 234. non minus altera imago, quae extat de cons. Stil. III 65 sq.: *septem circumspice montes, Qui solis radios auri fulgore lacessunt* redolet Hom. *K* 547: *αἰνῶς ἀκτίνεσσι ἐοικότες ἠελίοιο.* tertia denique eiusmodi imago invenitur de III. cons. Hon. 135 sq.: *seges Mavortia ferri Ingeminat splendore diem.*

Pulcherrime deinde Claudianus de Nupt. Hon. et Mar. 243 Mariam eiusque matrem his ornat imaginibus: *haec modo crescenti, plenae par altera Lunae.* quod Claudianus crescentem et plenam lunam in imagine induxit, nullius alius poetae exemplum secutus est; in luna autem ad candidam pulchritudinem describendam adhibenda iam praeierunt alii; cf. hymn. Hom. in Ven. 89 sq., Hesiod. Eoe. fr. 148, 4, Theocr. Id. II 79, Hor. carm. II 5, 18 sqq., Tib. III 4, 29, Senec. Phaedr. 654. denique

---

[1]) Cf. Hom. *A* 104 (δ 662), *M* 466, *N* 474, *T* 17, 366, τ 446, Hesiod. Scut. H. 72, 145, 390, Theocr. XXIIII 18 sq., Mosch. II 7 sq., Apoll. I 1296 sq., III 1017 sq., IIII 1541 sq., Lucr. III 289, Verg. Aen. II 210, V 277, VII 448 sq., VIII 703, XII 102, Prop. II 3, 14, Ov. Met. I 498, III 33 (VIII 284), XV 674, Sen. Tro. 448, Phaedr. 364, 1040 sq., Herc. f. 218 sq., 1022, Herc. Oet. 808, Val. Fl. II 184 sq., Sil. II 431, VI 220, XI 329 sq. XVII 399, Stat. Theb. XI 532 al.

[2]) Nam Ovidii loci Met. IIII 347 sqq., A. A. II 721 ad solem refulgentem pertinent; Vergilii deinde locus, Aen. VII 526 sq., quem praeter Stat. Theb. III 225 sq. attulit Ieep, nullam continet imaginem.

[3]) Cf. Hom. Ξ 185, *T* 398, *X* 135, δ 45 (η 84), σ 296, τ 234, ω 148 (Aesch. Agam. 275, Eur. Ion 1550, Phoen. 169), Apoll. I 725 sq., III 1228 sq.

Digitized by Google

vix admonitione indiget, ante hos omnes Homerum imaginem e luna depromptam exhibere, cuius locos, *T* 374, *δ* 45 (*η* 84), *ω* 148, breviter enumerare quam adscribere malo, quippe qui magis splendorem rei alicuius quam pulchritudinem indicent.[1]) altera similitudine Phoenicis avis dissolutio illustratur carm. min. XXXXIIII 36 sqq.:

> Iam breve decrescit lumen languetque senili
> segnis stella gelu, qualis cum forte tenetur
> nubibus et dubio vanescit Cynthia cornu.

ad imaginis materiam recte contulit Gesner Verg. Aen. VI 453 sq.: *qualem primo qui surgere mense Aut videt aut vidisse putat per nubila lunam.* sed cum hoc loco Dido, quam Aeneas propter caliginem, quae est apud inferos, aegre vidit, depingatur, aliam similitudinem, quae propius accedat ad Claudiani locum, circumspiciamus. nec deest imago ita comparata. Silius enim XII 247 sqq. simillimum in modum Cinypem pulchrum morientem illustrat:

> Haud secus Oceano rediens Cythereius ignis,
> si subita invadat nubes, hebetatur et atris
> decrescens tenebris, languentia lumina condit.

imitatio enim, quamquam Claudiani imago ad lunam, Silii ad hesperum spectat, aperta esse videtur, cum apud utrumque poetam prorsus eadem res simili comparatione adumbretur. ad hoc gravissimum imitationis argumentum accedit etiam verborum nonnullorum consensus haud spernendus. conferas enim praeter alia Claudiani verba: *decrescit lumen languetque* cum Silii verbis: *Decrescens ... languentia lumina condit.* iam priusquam ad similitudines, quae ex stellis ductae sunt, recensendas trangrediamur, comparationem venustissimam pertractemus, quae spectat ad lunam stellas fulgore superantem. Claudianus enim in Olybr. et Prob. cons. 22 sqq. gloriam gentis Aucheniae sic summis effert laudibus:

> Haud secus ac tacitam Luna regnante per arcem
> sidereae cedunt acies, cum fratre recusso
> aemulus adversis flagraverit ignibus orbis.

in disputatione de fonte huius similitudinis haec comparatio ipsa secernenda est a descriptione, quae eam sequitur. cum enim versus illos, qui ex epico describendi more additi sunt, Claudianus ipse excogitasse videatur, similitudinem, quae antecedit, non sine memorabilibus exemplis adhibuit. nam si haec spectamus: *Luna regnante ... Sidereae cedunt acies,* ex omnibus similibus locis, quos paulo infra examinabimus, Ovidium potissimum secutum esse Claudianum suspicor, qui Her. XVII 71 sqq. haec dixit: *quantum, cum fulges (Luna) radiis argentea puris,*

[1]) Adde Aesch. Ag. 284 sq.

Digitized by Google

Concedunt flammis sidera cuncta tuis, Tanta formosis formosior omnibus illa est. altera imago Ovidiana, quae, quod ad structuram verborum attinet, minus ad Claudiani versus quadrat, occurrit Met. II 722 sq. Herse enim tanto pulchrior ceteris puellis esse dicitur:

> Quanto splendidior quam cetera sidera fulget
> Lucifer, et quanto te, Lucifer, aurea Phoebe.

hac occasione oblata silentio praeterire nequeo Washietlium p. 97 in his similitudinibus tractandis falsum esse. nam, cum nusquam apud ceteros poetas similis inveniatur imago, Ovidium suarum imaginum usum didicisse putat e Lucretio III 1042 sqq. sed si hunc locum diligentius inspexeris, non magnum inter eum et Ovidii versus intercedere consensum invenies. neque vero sibi ipsi Washietl persuasisse videtur; nam alium quoque locum, Hom. Θ 555 sqq. conferri iussit. sed ne is quidem ullo cognationis vinculo cum Ovidianis coniunctus est; nam rationis, quae inter lunam et stellas intercedit, nullo verbo mentio fit. Homerus enim magnum numerum ignium Troianorum comparat cum stellis circa lunam fulgentibus. sed ne longus sim in reprehendendo, duos locos proferam, quos Ovidius respicere potuit, dico Sapphus fr. 3 et Hor. Carm. I 12, 46 sqq., quem locum Zingerle I 24 recte composuit cum Stat. Silv. II 6, 35 sqq. praeterea Seneca ad Horatium, quem saepissime imitatum eum esse constat, se applicuit Phaedr. 743 sqq., quocum loco conferas Med. 96 sqq., ac similem comparationem etiam Sil. XVI 33 sqq. protulit. ex his igitur locis Claudianus, quamquam Ovidium potissimum eum secutum esse mihi persuasi, unum vel alterum in similitudine sua effingenda certe respicere potuit.

Iam venimus ad similitudines imaginesque perlustrandas, quae ex stellis petitae sunt. ac manifestissima imitationis vestigia deprehendere mihi contigit in imagine simplicissima atque brevissima. velim enim mecum conferas Claudianum de VI. cons. Hon. Aug. 453 sq.: *nox erat et late stellarum more videbam Barbaricos ardere focos,* et Homerum Θ 554 sqq.: *πυρὰ δέ σφισι καίετο πολλά. ὡς δ' ὅτ' ἐν οὐρανῷ ἄστρα φαεινὴν ἀμφὶ σελήνην φαίνετ' ἀριπρεπέα, ὅτε τ' ἔπλετο νήνεμος αἰθήρ· πάντα δέ τ' εἴδεται ἄστρα, γέγηθε δέ τε φρένα ποιμήν.* clamant enim argumenta certissima. prorsus eadem res eadem similitudine illustratur, quamquam concedendum est Claudianum Homeri similitudinem in brevius contraxisse ita, ut dubitare possis, quae vis imagini *more stellarum* subicienda sit, utrum multitudinis an fulgoris. sed, utut hanc imaginem explicamus, utrumque ex Homero (*πυρὰ πολλά ... ἄστρα ἀριπρεπέα*) discere potuit. si vero imitatione manifestissima probata Homeri locum ad interpretandam Claudianeam imaginem in auxilium vocaverimus, haud inscite contendemus, hac notionem multitudinis

Digitized by Google

adumbrari aeque ac similitudine Homerica. quae cum ita sint, aliorum poetarum locos, qui ad aliam rem depingendam pertinent, quam brevissime enumerabo: Callim. hymn. IIII 175 sq., Catull. VII 7 sq., LXI 203 sq., Ovid. A. A. I 59, Trist. I 5, 47, IIII 10, 108 sq., Sil. VII 362 sqq. fulgorem deinde indicat imago brevissima, quae extat de bell. Poll. 458 sqq.: *pulvereo sub turbine sideris instar Emicuit Stilichonis apex et cognita fulsit Canities.* qua in re cui quaeso non statim in memoriam revocatur illud Homericum *ἀστὴρ δ' ὡς ἀπέλαμπεν*, quod compluribus locis Z 295, *T* 381, o 108 occurrit? ex quibus optime quadrat *T* 381 sq.: *ἡ δ' ἀστὴρ δ' ὡς ἀπέλαμπεν Ἵππουρις τρυφάλεια*, quippe quae verba ad fulgorem galeae spectent, quam rem haud iniucunde ad cognitam Stilichonis canitiem transtulit Claudianus, de qua conferas de Nupt. Hon. et Mar. 325. multo autem maiorem veritatis speciem Homeri imitatio prae se fert quam Vergilii, qui Homerum respiciens Aen. *X* 270 sqq. summum splendorem Aeneae armorum confert cum cometa vel Sirio. ceterum etiam has imagines frequentissimas fuisse nemo nescit; cf. Hom. *E* 5, Theocr, XXV 139 sq., Apoll. I 239 sq., III 1356 sqq., Hor. Carm. III 1, 42, Ovid. Her. XVIIII 55 sq., Am. III 3, 9, Met. I 499 (III 420, coll. Prop. II 3, 14), Sil. VIIII 444 sq., XV 679 sq., Stat. Theb. V 440, Silv. I 1, 103. denique stellae inde ab Homero adhibentur ad significandam splendidam pulchritudinem. cuius imaginis exemplum Claudianus quoque de Nupt. Hon. Aug. Fesc. I 1 praebet: *princeps corusco sidere pulchrior.* qua in imagine brevissima pertractanda mittamus similitudines Homeri X, 26 sqq. et Apollonii I 774 sqq., quippe quae latius extensae minime comparari possint cum Claudiani imagine simplicissima. recte autem Gramlewicz p. 17, quem Ieep secutus est, Claudiani imaginem ad Hor. Carm. III 9, 21 *sidere pulchrior* revocavit. imitatio luculentissima est; uterque enim poeta iustum comparandi modum excedens illud Homeri Z 401 *ἀλίγκιον ἀστέρι καλῷ* ita variavit, ut stellam pulchritudine superatam induceret in imagine. ex Homero pendent hymn. Hom. *I* 440 sqq, Aesch. Pers. 150 sq., Eur. Hipp. 1122 sq. apud Latinos Seneca tantum, qui Horatium studiosissime legit, duas exhibet imagines, quae ad stellarum universum genus pertinent: Phaedr. 1112, Herc. Oet. 238 sq. [1]) nihil prorsus certi de fonte imaginis dici potest, qua Honorius Lucifero confertur de III. cons. Hon. Aug. 131 sq. brevior enim est ea, quam ut imitationis indicia cognosci possint. Luciferum autem in comparationis usum convertit e Graecis Hom. X

[1]) Frequentius solo adiectivo 'sidereus' (cf. Hom. *Π* 134) hanc imaginem expresserunt poetae. sic quoque Claudianus in Eutr. II 330 dixit: *sidereas Iunonis aves*, quo loco aperte imitatus est Ovid. Met. XV 385.

Digitized by Google

317 sq., Apollonius II 40 sqq. praeterea conferas hos locos: Hor. Carm. III 19, 26, Verg. Aen. VIII 589 sqq., Ovid. ex Pont. II 549 sq.. Sen. Phaedr. 749, Sil. VII 639 sq. breviter addamus imaginem, quae de IIII. cons. Hon. Aug. 186 occurrit et fulgorem stellae significat, quae futuram Honorii magnitudinem ostendens die se ostendit tanto splendore *quantus numeratur nocte Bootes.* recte Bootes ad fulgorem describendum adhibitus est a Claudiano; est enim, ut Arati Phaen. 94 verbis utar, *καὶ μάλα πᾶς ἀρίδηλος.*

Rapida celeritas, qua stellae de caelo delabi videntur, aptam praebuit poetis materiam ad notionem vehementiae et celeritatis depingendam. ex omnibus locis, quibus stellas cadentes in imagine inductas inveni: Hom. Δ 79 sqq., Eur. fr. 961, Callim. hymn. IIII 38, Theocr. XIII 49 sq., Ovid. Met. II 321 sq., Sen. Phoen. 430 sqq., Phaedr. 739 sq., Stat. Theb. I 92, VI 408, Homericum potissimum ante oculos habuisse videtur Claudianus de cons. Stil. II 270 sqq., cum apud utrumque poetam eadem imago simillimae rei adumbrandae inserviat. Claudianus enim deam Romam, quae precibus provinciarum commota ad Stilichonem se contulit, hac imagine illustrat:

> nec segnius illa
> paruit officio, raptis sed protinus armis
> ocior excusso per nubila sidere tendit.

Homerus ad illustrandum impetum, quo Minerva Iovis iussa exsecutura in terram fertur, hac imagine usus est, Δ 74 sqq.:

> *βῆ δὲ κατ' Οὐλύμποιο καρήνων ἀίξασα.*
> *οἷον δ' ἀστέρα ἧκε Κρόνου πάις ἀγκυλομήτεω,*
> *ἢ ναύτῃσι τέρας ἠὲ στρατῷ εὐρέι λαῶν,*
> *λαμπρόν· τοῦ δέ τε πολλοὶ ἀπὸ σπινθῆρες ἵενται.*

eandem similitudinem Claudianus respexisse videtur de Rapt. Pros. I 228 sqq., ubi Venus eiusque comites Iovis mandata peracturae Siciliam petunt:

> Accelerant praecepta Venus iussuque parentis
> Pallas et inflexo quae terret Maenala cornu
> addunt se comites. divino semita gressu
> claruit. augurium qualis laturus iniquum
> praepes sanguineo delabitur igne cometes
> prodigiale rubens: non illum navita tuto,
> non impune vident populi, sed crine minaci
> nuntiat aut ratibus ventos aut urbibus hostes.

imitationem manifestam esse puto: nam non solum similem rem uterque poeta depingit stella cadente, sed etiam versus extremi Claudiani quam maxime congruunt cum verbis Homeri. quae cum ita sint, locum, quem Ieep attulit, Verg. Aen. X 272 sq., solum fontem similitudinis

Digitized by Google

Claudianeae esse nego. accedit, quod haec Vergilii comparatio ad fulgorem Aeneae armorum describendum adhibita est. alius locus, dico Apoll. III 1376 sqq., aptius sane comparari potest. ceteras imagines ex cometis petitas mittamus necesse est, cum multo minus ad Claudiani locum quadrent, velut Apoll. III 141 sq., Verg. Aen. V 525 sqq., Sil. I 358 sqq., 461 sqq. breviter addam duas imagines, de VI. cons. Hon. 18 sqq., qua similitudine siderum notitia, qua Babylonii excellebant, praedicatur, et de cons. Stil. II 135, qua de septem zonis agitur, inservire ad poetae doctrinam ostentandam.

Totam hanc seriem similitudinum, ex corporibus caelestibus depromptarum absolvamus duabus, quae ad lucem et tenebras pertinent. sic legimus de bell. Poll. 308 sq.: *carior omni Luce gener.* conferri quidem potest Verg. Aen. IIII 31: *luce magis dilecta*; sed cum imagines, in quibus lux vel vita vel oculi ad significandam caritatem adhibentur, apud Graecos et Latinos usitatissimae [1]) fuerint, de imitatione non cogitabimus. deinde Stygias tenebras in imagine induxit Claudianus ad illustrandas alas avis, in quam Bellona se verterat, in Eutr. II 231: *infernis tenebris obscurior alas.* cum illud sollemne Homeri *νυκτὶ ἐοικώς* ad prorsus aliam rem depingendam spectet, duos tantum, qui aliqua ex parte similes essent, inveni locos: Verg. Aen. VII, 476: *Allecto in Teucros Stygiis se concitat alis* et Val. Fl. I 611: *nocte concolor alas.*

Restat, ut addamus imaginis Claudianeae, qua dies et nox inter se opponuntur, iam supra mentionem factam esse.

Videmus igitur, quantus sit numerus imaginum atque similitudinum, quae apud Claudianum inveniuntur. quarum de multitudine ac natura rectissime iam Gesnerus I p. VII. sic disseruit: 'Maxima vis ingenii in pictura illa elucet, qua poetae censentur non immerito. hac vero ita valet noster, ut optimis quibusque vel comparari possit vel praeferri debeat. iuvit illum hac in re tanta rerum naturalium, quanta tum esse poterat cognitio, quae inexhaustam viro imaginum et comparationum copiam suppeditaret'. ac re vera patet Claudianum ingenii felicitate atque ubertate parem fuisse summis poetis. cuius vita si incidisset in meliora tempora, longe praestantiora ille eis, quae reliquit, carmina condidisset. simul apparet, quanta fuerit in eo poetarum et graecorum et latinorum cognitio. atque ex graecis inprimis studiose lectitavit Homerum et Apollonium, ex latinis Lucretium, Catullum, Vergilium, Horatium, Ovidium, Lucanum, Valerium Flaccum, [2])

[1]) Conferas haec exempla: Tyrt. fr. 11, 6, Aesch. Sept. 518, Eur. Ion. 1439, Callim. hymn. III 211, Mosch. IIII 9, Catull. III 5, IIII 2, XIIII 1, LXIIII 215, LXV 10, LXVIII (LXVIIII) 106 (66), CIII 2, Verg. Aen. V 724, Luc. V 739 al.

[2]) Primus hoc intellexit et demonstravit C. Schenkl Mel. in Val. Fl. Arg. p. 38 (edit. p. IIII), cuius sententiam ipso auctore non nominato repetiit Baehrens (edit. p. VIIII),

Digitized by Google

Silium Italicum, Statium, Senecae tragoedias. ex quibus multa in usum suum convertit, ita tamen, ut ea, quae ex illis mutuatus esset, egregie variaverit atque insigni arte exornaverit. sed iam claudam rivulos meos, ex quibus ut fructus aliqui redundent ad Claudiani ingenium et studia recte aestimanda, magnopere exopto. [1])

---

ita tamen, ut falso imitationem ad solum carmen de raptu Proserpinae referendam esse contenderet.

[1]) Hoc opusculo iam typis exscripto in manus meas venit Claudiani editio amplissima a Th. Birtio nuperrime absoluta. cuius libri me rationem habere non potuisse quam maxime doleo.

Digitized by Google

Index

locorum, quos in hac dissertatione commemoravi.

Poetae graeci. Aeschylus.

pag.

Pers. 150 sq. 189
165 sqq. ..... 142 n. 1
169 135
957 135
Ag. 275 ..... 186 n. 3
284 sq. ..... 187 n. 1
864 185
1016 153
1047 sq 153
1187 ..... 134, 160
1212 154
1345 sq. 176
Choe. 360 172
432 sq. 140
931 114
Sept. 62 sq. 141
84 sq. 178
190 sqq. 141
274 sqq. 161
375 sqq. 150
513 ..... 191 n. 1
767 ..... 137 n. 1
817 sqq. 111
Eum. 111 153
131 sq. 137
244 sqq 153
Prom. 922 175

Apollonius Rhodius.

I 26 sqq. 122
239 sq. 189
307 sqq. 107
480 sqq. 129
508 sqq. 103
575 sqq. 151
725 sq. ..... 186 n. 3
730 sq. 104, 129
774 sqq. 189
879 sqq. 165
1003 sqq. 169
1158 ..... 184 n. 2
1296 sq. ..... 186 n. 1

pag.

II 25 sq. 154
40 sqq. 190
45 153
123 sqq. 152
130 sqq. 166
267 183
276 183
543 sqq. 136
602 143
758 102
811 102
1037 sq. ..... 150 n. 2
1208 sq. 114
III 141 sq. 191
518 sqq. 104
918 sq. 119
1017 sq. ..... 186 n. 1
1123 102
1177 sqq. 123
1228 sq. ..... 186 n. 3
1258 sqq. 150
1281 sq. 114
1282 107
1356 sqq. 189
1369 sq. 181
1373 sq. 169
1376 sqq. 191
IIII 214 sq. 183
216 sq. 170
221 ..... 183, 184 n. 2
875 183
1366 ..... 183, 184 n. 2
1541 sq. ..... 186 n. 1
1680 sqq. 169

Aratus.

Phaen. 45 sq. 178
94 190

Callimachus.

Hymn. I 95 sq. ..... 142 n. 1
II 97 sqq. 107
III 94 183

pag.

III 211 ..... 191 n. 1
252 sq. 172
IIII 38 190
175 sq. 189
V 27 sq. 168
VI 88 sqq. 180

Epicorum graecorum fragm.

Eumel. Cor. fr. 9, 3 sq. 169

Euripides.

Hec. 398 168
Hel. 1314 183
Iph. Aul. 206 183
299 sqq. 147
Iph. Taur. 10 sqq. 147
Troad. 432 172
Bacch. 337 sqq. 113
748 160
873 183
989 sq. 154
1125 sq. 112
1282 sq. 111
Phoen. 163 183
169 ..... 186 n. 3
438 ..... 142 n. 1
439 sqq. ..... 142 n. 1
657 sqq. 123
835 135
1039 sq. 175
1128 114
1154 ..... 185 n. 1
Herc. f. 403 sqq. 121
861 181
1210 sqq. 154
1401 ..... 137 n. 1
Alc. 310 160
579 sqq 122
851 sqq 121
1139 sq. 121
Med. 410 sq. 123
542 172

Digitized by Google

pag.

Med. 543 ... 122
1213 ... 168
1342 ... 154
1343 ... 134
1358 ... 154
1359 ... 134
1407 ... 154
Ion 486 sq. ... 138
1262 ... 160
1363 ... 137 n. 1
1439 ... 191 n. 1
1550 ... 186 n. 3
El. 37 sq. ... 142 n. 1
748 ... 175
1163 sq. ... 154
Orest. 727 sq. ... 185
1520 ... 133
1555 ... 154
Androm. 271 ... 160
369 ... 146
Suppl. 1045 ... 160
Hipp. 1122 sq. ... 189
Cycl. 273 sq. ... 121
fr. 688 ... 126
961 ... 190
1033 ... 172
fr. ad. 458 (N.) ... 143
(Rhes.) 303 sq. ... 178
386 ... 114

Hesiodus.

Theog. 91 ... 102
268 ... 183
933 sqq. ... 115 n. 1
Scut. Herc. 8 ... 117 n. 1
60 ... 185
72 ... 186 n. 1
145 ... 186 n. 1
195 sq. ... 115 n. 1
222 ... 135
345 ... 183
390 ... 186 n. 1
421 sq. ... 169
425 sqq. ... 158
437 sqq. ... 179 n. 1
451 ... 185
Eoe. fr. 148, 4 ... 186
Inc. sed. fr. 216 ... 178

Homerus.

A 50 ... 144
104 ... 186 n. 1
234 sqq. ... 123
402 sqq. ... 130
528 sqq. ... 104

pag.

B 87 sqq. ... 166
209 sq. ... 181
394 sqq. ... 181
467 sq. ... 170
488 sq. ... 126
627 ... 114
651 ... 114
786 ... 184 n. 1
800 ... 170, 172
Γ 2 sqq. ... 162
449 ... 153
Δ 74 sqq. ... 190
79 sqq. ... 190
141 sq. ... 173
422 sqq. ... 182
439 sqq. ... 115 n. 1
482 sqq. ... 169
E 4 ... 185
5 ... 189
78 ... 102
87 sqq. ... 179
161 ... 157 n. 1
368 ... 184 n. 1
487 ... 138
560 ... 169
576 ... 114
Z 295 ... 189
401 ... 189
506 sqq. ... 150
H 4 sqq. ... 185
166 ... 114
Θ 409 ... 184 n. 1
555 sqq. ... 188
I 155 ... 102
297 ... 102
385 ... 172
389 ... 117
481 ... 137
603 ... 102
K 33 ... 102
437 ... 128, 177 sq., 183 sq.
469 sqq. ... 128
485 sqq. ... 152
547 ... 186
Λ 27 sq. ... 176
58 ... 102
155 sqq. ... 169
175 ... 157 n. 1
295 ... 114
546 ... 153
548 sqq. ... 157
747 ... 185 n. 1
830 sqq. ... 126
M 40 ... 185 n. 1
130 ... 114
132 sqq. ... 137
167 sqq. ... 166
200 sqq. ... 164
207 ... 183

pag.

M 312 ... 102
375 ... 185 n. 1
466 ... 186 n. 1
N 102 sqq. ... 153
136 sqq. ... 179 n. 1
178 sqq. ... 169
218 ... 102
295 ... 114
298 sq. ... 115 n. 1
389 sqq. ... 169
474 ... 186 n. 1
802 ... 114
Ξ 185 ... 186 n. 3
414 sqq. ... 169
O 80 sqq. ... 135
170 sqq. ... 177
263 sqq. ... 150
323 sqq. ... 152
586 ... 153
Π 134 ... 189 n. 1
149 ... 117, 183, 184 n. 1
192 ... 137
352 sqq. ... 152
389 sqq. ... 178
482 sqq. ... 169
605 ... 102
P 4 sqq. ... 151
53 sqq. ... 169
61 sqq. ... 157
109 sqq. ... 157
547 sq. ... 176
657 sqq. ... 157
747 sqq. ... 179
Σ 318 sqq. ... 155
470 sqq. ... 117
489 ... 125
610 ... 185
610 sqq. ... 117
T 17 ... 186 n. 1
282 ... 117
366 ... 186 n. 1
374 ... 187
375 sqq. ... 185
381 sq. ... 189
398 ... 186 n. 3
415 ... 183 sq. n. 2
Υ 164 sqq. ... 154
Φ 29 ... 153
X 1 ... 153
26 sqq. ... 189
132 ... 114
134 sq. ... 185
135 ... 186 n. 3
317 sq. ... 190
393 sq. ... 102
434 ... 102
460 ... 111
Ψ 598 sqq. ... 176
Ω 77 ... 184 n. 1

Digitized by Google

pag.

Ω 95 ..... 184 n. 1
159 ..... 184 n. 1
342 183
699 117
α 98 183
308 137
320 160
β 148 183
δ 14 117
45 .....186 n. 3, 187
122 ..... 119 n. 1
662 ..... 186 n. 1
ε 36 102
46 183
275 125
ζ 20 183
100 sqq. 127
102 sqq. ..... 119 n. 1
102—109 127
115 sqq. 127
231 167
η 11 102
37 135
71 102
84 ..... 186 n. 3, 187
ϑ 115 114
173 102
453 102
467 102
ι 51 170
κ 21 sq. 116
135 sqq 134
λ 310 129
315 sqq. 129
319 sq. 104
ν 230 sq. 102
ξ 205 102
ο 108 189
520 102
ϱ 37 ..... 117, 119 n. 1
322 sq. ..... 142 n. 1
σ 296 186
τ 54 ..... 117, 119 n. 1
234 186
280 102
446 ..... 186 n. 1
χ 348 102
ψ 339 102
ω 92 ..... 184 n. 1
148 ..... 186 n. 3, 187

Hymni Homerici.

in Apoll. 186 135
440 189
448 135
in Merc. 43 sq. 136

pag.

in Ven. 89 sq. 186
218 ..... 184 n. 2
in Cer. 43 160
82 sqq. ... 136 n. 1
178 167
363 sqq ... 136 n. 1
in Diosc. 6 sqq. ... 120

Moschus.

Idyll. I 129 sq. 142
144 sq. 160
II 7 sq. ..... 186 n. 1
16 160
IIII 9 ..... 191 n. 1
77 sq. ..... 137 n. 1

Pindarus.

Ol. II 10 135
58 sqq. ..... 142 n. 1
108 sqq. 172
VI 16 135
30 168
VII 77 sqq. 102
XI 1 sqq. ..... 185 n. 2
2 sqq. 176
XIII 46 172
Pyth. I 1 168
10 sq. 116
III 73 sqq. ..... 120 n. 2
IIII 210 183
VIII 15 sqq. 129
VIIII 46 170
46 sq. 172
Nem. I 6 ..... 184 n. 2
III 45 183
Isthm. VI 23 168
VII 38 114

Poetae lyrici graeci.

Alc. fr. 49, 2 ..... 142 n. 1
55, 1 168
92 ..... 142 n. 1
Alcm. fr. 23, 17 sq... 172
Archil. fr. 74, 4 sqq.. 124
Aristot. fr. 6, 7..... 172
Ibyc. fr. 1, 6 sqq..... 185 n. 1
Phryn. fr. 3 183
Sapph. fr. 3 188
85 167
91, 5 114
Sim. Am. fr. 1, 3 sqq.. 149
7, 37 sqq. 182
Sim. Ce. fr. 7 ..... 184 n. 2
18, 4 168
Theogn. 77 sq..... 172

pag.

Theogn. 177 sq..... 142 n. 1
181 sq..... 142 n. 1
267 sqq..... 142 n. 1
985..... 135
1097..... 160
Tyrt. fr. 11, 6 ..... 191 n. 1
12, 4 183

Sophocles.

Antig. 135 sqq. ..... 185 n. 1
354 ..... 135, 183
826 sq. 168
El. 97 sqq. 169
234 ..... 137 n. 1
Ai. 5 sqq. 152
Oed. r. 466 .... 183, 184 n 2
Oed. C. 1081..... 183
fr. 783..... 168

Theocritus.

Idyll. II 79 186
III 15 sq. 154
VII 96 sq. 167
VIII 54 183
VIIII 34 167
XII 3 (8)..... 167
XIII 49 sq. 190
XVI 60 sqq. ... 183
80 119
XX 21 sq. 168
XXI 44 sq. 137
XXII 4 sqq. ... 120
17 sq. .... 120 n. 1
XXIII 19 154
XXIIII 18 sq. .... 186 n. 1
XXV 139 sq. 189
XXVI 20 sqq. ... 113

Poetae latini. Catullus.

Carm. III 5 ..... 191 n. 1
IIII 2 ..... 191 n. 1
VII 3 sqq... 172
7 sq.... 189
XIIII 1 ..... 191 n. 1
XXXXVIII 5 ..... 167 n. 1
LV 26 178
LX 1 154
2 134
LXI 16 sqq... 117 n. 1
21 sq.... 167
31 sqq... 168
87 sqq... 167
102 sqq... 169
202 sqq... 172
203 sq.... 189
212 sqq... 169
LXIII 74 168
LXIIII 87 sqq... 167

Digitized by Google

pag.

LXIIII 105 sqq. 170
154 154
156 134
204 sqq. 104
215 ..... 191 n. 1
LXV 10 ..... 191 n. 1
LXVIII 63 sqq. 185
106 ..... 191 n. 1
LXVIIII 23 sqq. 185
66 ..... 191 n. 1
LXXII 4 sq. .... 137 n. 1
LXXX 1 168
2 177
CIIII 2 ..... 191 n. 1
CVII 3 172

Claudianus.

in Olybr. et Prob. cons.

22 sqq. 187
43 177
48 sqq. 179
49 sq. ..... 138 n. 1
55 sqq. 126
69 sq. 103
77 sqq. 115
84 118
94 sq. 186
100 sq. 184
119 sq. 115
147 sqq. 145
169 123
169 sq. 124
171 sqq. 124
183 sqq. ..... 119 n. 1
194 sq. 117
197 sq. 119
202 117
240 120

de cons. Stil.

I 10 sqq. 126
45 185
46 119
67 148
68 148
143 sqq. 121
145 108
151 sq. 142
152 sq. 147
169 142
171 147
258 147
264 sqq. 148
286 sqq. 140
303 sq. 130
309 sqq. 130
318 sqq. 123
378 sqq. ..... 138 n. 1
II 18 sqq. 159
21 ..... 157 n. 1

pag.

II 25 sqq. 104
70 sq. ..... 137 n. 2
132 sqq. 134
135 191
135 sq. 133
170 sq. 122
212 sq. 112
215 sq. 153
249 181
270 sqq. 190
275 sq. 118
276 115
367 sqq. 115
414 sqq. 164
III praef. 1 sqq. ..... 145 sq.
III 21 sq. ..... 146 n. 1
30 sqq. ..... 146 n. 1
56 sqq. 167, 176
57 sq. 185
58 sqq. 109
65 sq. 186
130 102
141 sqq. ..... 146 n. 1
226 sqq. 179
231 sq. 179
252 183
289 177
290 sq. ..... 170 n. 2
301 ..... 157 n. 1
362 sqq. 110

in Ruf.

I praef. 1 sqq. 106
I 70 sqq. 181
89 160
90 ..... 155, 185
91 182
108 121
114 145
114 sq. 121
118 sqq. 133
130 sq. 141
164 sqq. 131
183 sqq. 180
200 sqq. ..... 146 n. 1
226 sq. 154
228 160
234 sqq. 143
252 sqq. 131
262 sqq. 122
267 sqq. ..... 178 sq.
275 sqq. 120
283 sqq. 122
294 sqq. 133
301 sqq. 144
302 144
329 sq. 130
340 sqq. 115
351 115
II praef. 17 sqq. 116

pag.

II 22 sqq. ..... 116 sq.
38 ..... 182 n. 1
38 sqq. 171
106 sq. 147
119 147
120 sqq. 147
122 sq. 148
128 sq. 142
134 sqq. 131
135 191
220 sq. 175
220 sqq. 181
252 sqq. 156
332 sqq. 113
376 sqq. 138
391 167
392 sqq. 153
407 sqq. 112
418 sq. 112
448 119
460 sqq. 166
513 sq. ..... 131 n. 1

in Eutr.

I 32 sq. 172, 183
54 sq. 125
90 sqq. 145
111 ..... 170 n. 2
112 ..... 138 n. 1
113 142
113 sqq. 167
117 sq. 162
132 sqq 139
157 sq. 130
159 sqq. 130
183 sq. 153
269 sqq. ..... 137 n. 2
303 sqq. 153
348 sq. 124
348 sqq. 152
352 126
353 123
353 sq. 125
355 125
356 sq. 126
508 sqq. 148
II praef. 23 sqq. ..... 137 n. 2
II 5 sq. ..... 140 sq.
89 sqq. ..... 137 n. 2
93 140
124 sqq. 166
160 sqq. 175
174 sq. 143
231 191
251 sqq. ..... 148 n. 2
310 sqq. 163
312 sq. 142
330 ..... 189 n. 1
370 sqq. ..... 137 n. 2
377 sqq. 129
379 sqq. 152

Digitized by Google

pag.

II 398 sq. 152
400 152
403 sqq. . . . . 138 n. 1
423 sqq. 141
440 153
444 sqq. 152
499 sqq. 149
507 sq. 120
509 sqq. . . . . 137 n. 2
522 sqq. 111
565 sq. . . . . 171 n. 1
596 sqq. . . . . 146 n. 1

III. cons. Hon. Aug.

praef. 1 sqq. 163
paneg. 56 sqq. 166
60 sqq. 126
77 sqq. 158
131 sq. 104, 189
132 110
135 167
135 sq. 186
193 sqq. 129

IIII. cons. Hon. Aug.

62 sqq. 108
130 sqq. 105
186 190
192 sqq. 145
197 sqq. 103
206 sqq. 120
224 sqq. 142
250 sq. 153
253 sq. 134
366 sq. 128
374 sqq. 145
380 sqq. 166
383 sqq. 152
412 sqq. . . . . 146 n. 1
419 sqq. 140
492 sq. 145
507 sqq. 145
525 sq. 115
531 148
532 sqq. 123
537 sq. 106
542 sq. 148
543 130
570 sqq. 119
606 sqq. 109
632 sqq. 134

VI. cons. Hon. Aug.

praef. 3 sqq. 136
21 114
23 172
paneg. 18 sqq. 191
36 sq. 107
77 . . . . . 170 n. 2
132 sqq. 140
186 sqq. 109

pag.

paneg. 191 sq. 108
234 135
259 sqq. 139
324 sqq. 119
333 sqq. 148
411 sq. 107
436 sq. 126
453 sq. 188
469 175
470 sqq. 128, 178
474 sqq. 128
476 . . . . . 178, 184
479 sqq. 128
480 142
484 sqq. 145
498 182
523 sq. . . . . 137 n. 2
562 sq. 110
632 sqq. 180
654 sqq. 102

de Nupt. Hon. et Mar.

16 sqq. 127
18 sq. 127
111 sqq. 177
174 sq. 117
215 sqq. 113
236 sq. . . . . 119 n. 1
243 186
244 sqq. 169
247 sqq. 167
265 168
265 sq. 178
266 . . . . . 168, 185
270 119
278 103
287 sqq. 149
296 sqq. 177
325 189
340 sq. 169

de Nupt. Hon. et Mar. Fesc.

I 1 189
2 148
3 148
6 sqq. 110
7 128
8 107
9 110
25 148
26 153
IIII 13 sqq. 146
18 sq. 168
21 sqq. 161

de Manl. Theod. cons.

praef. 11 sqq. 105
paneg. 30 sqq. 145

pag.

paneg. 30 sqq. 105
42 sqq. 140
205 sqq. 171
232 sqq. 180
237 sq. . . . . 179 n. 2
251 sq. 122
320 160

de Bell. Gild.

219 sqq. 119
254 sq. 145
268 sq. 145
270 sqq. . . . . 146 n. 1
307 sq. 102
382 sq. 125
399 sq. 123
467 sqq. 164
474 sqq. 162
482 sqq. 146
507 sqq. 134
509 sqq. 135

de Bell. Poll.

1—35 123
44 149
56 sq. 123
58 sqq. 125
72 129
73 sqq. 129
124 sqq. . . . . 146 n. 1
138 sq. 175
138 sqq. . . . . 146 n. 1
174 sq. 144, 177
181 142
186 sqq. 131
209 sq. 140
269 sqq. 141
308 sq. 191
320 181
322 sqq. 156
342 sq. 133
366 sqq. . . . . 137 n. 2
377 sqq. 105
408 sqq. 150
430 sqq. 145
438 sqq. 121
458 sqq. 189
468 113
475 138
527 147
601 sqq. 148
607 sq. 172

Epith. Pall. et Cel.

125 sq. . . . . 168, 177 sq. n. 1
135 sqq. 148

de Rapt. Pros.

I 69 sqq. 116
116 125

Digitized by Google

pag.

I 127 sqq. 151
228 sqq. 190
239 sqq. 129
270 sqq. 173
283 sq. 143
II praef. 1 sqq. 122
17 sqq. 122
II 25 170
30 sqq. 118
38 sq. ..... 119 n. 1
47 121
62 sqq. 132
67 sqq. 111
79 sq. ..... 171 n. 1
94 sq. 173
95 sq. 174
97 162
98 sqq. 176
124 sqq. 165
163 sqq. 142
166 sqq. 123
178 sq. 189
179 sqq. 105
189 sq. 125
198 sq. 178
199 143
200 ..... 143, 184
200 sq. 135
209 sqq. 157
277 sqq. ..... 136 n. 1
280 108
294 sqq. ..... 136 n. 1
308 sq. 170, 177
310 ..... 172, 182
III 3 176
3 sq. 183
40 138
41 sqq. 149
66 104
86 172
87 185
89 sq. 178
97 sqq. 154
104 sqq. 154
141 sqq. 160
164 sqq. 138
263 sqq. 155
266 183
282 148
363 sqq. 140
370 sqq. 137
374 sqq. 137
386 sqq. 132

Laud. Ser.

12 sq. 121
34 sq. ..... 142 n. 1
106 sq. 137
107 sq. 121
121 sq. 185
122 sqq. ..... 119 n. 1

pag.

132 137
141 sqq. 127
201 sqq. 140

de Phoen. av.

11 102
25 165
30 sqq. 169
76 sq. 165
83 sqq. 148
99 119

Gigantom.

11 125
49 sq. 142
77 sq. 185

Carm. min.

I 13 163
II 13 sq. 125
15 124
16 sqq. ..... 125 sq.
18 sqq. 126
V 27 sqq. 159
33 sqq. 174
VI 12 sqq. 175
VIIII 7 sq. 148
XIII 17 sq. ..... 171 n. 1
XVIIII 17 sq. 185
21 183
XX 1 sqq. ..... 150 n. 2
7 185
10 sq. 170
12 167
17 153
21 148
47 148
XXVI 27 sq. 181
46 ..... 170 n. 2
XXVII 38 sq. 182
XXX 14 sq. 173
44 sqq. 117
XXXVII 1 sq. 138
2 173
XXXX 8 174
XXXXII 3 117
XXXXIIII 1 sqq. 117
36 sqq. 187

Deprec. ad Hadr.

13 sqq. 127

Epist. ad Ser. 37 sqq. 138 n. 1

Apon. 49 ..... 138 n. 1

de Hystr. 22 142

Ennius.

Ann. rel. X fr. 7 p. 51 (V.) 153
inc. sed. fr. 21 p. 74 (V.) 140

Horatius.

pag.

Carm. I 2, 7 sqq. ... 125
2, 11 sq. ... 124
2, 13 ..... 182 n. 1
3, 2 121
3, 15 sq. ... 185 n. 1
8, 8 ..... 182 n. 1
12, 7 sqq. ... 122
12, 27 sqq. ... 120
12, 39 sqq. ... 146 n. 1
12, 46 sqq. ... 188
19, 11 sq ... 148
23, 1 153
23, 10 ..... 157 n. 1
24, 13 122
29, 10 sqq. ... 123
33, 15 sq. ... 185 n. 1
36, 20 168
II 3, 18 ..... 182 n. 1
5, 18 sqq. ... 186
9, 23 sq. ... 148
10, 9 sqq. ... 174
16, 23 153
26, 24 184
III 1, 8 104
1, 42 189
3, 4 sq. ... 185 n. 1
3, 13 sq. ... 110
4, 49 sqq. ... 129
4, 59 sqq. ... 134
9, 21 189
9, 22 ..... 170 n. 2
9, 23 ..... 185 n. 1
10, 18 160
19, 26 190
27, 6 143
27, 39 sqq. ... 114
29, 36 sq. ... 179
IIII 2, 5 sqq. ... 178
2, 57 sq. ... 152
4, 13 sqq. ... 158
4, 14 sq. ... 158
4, 42 sqq. ... 184
4, 59 sqq. ... 134
5, 6 sq. ... 167
6, 9 sqq. ... 169
8, 31 ... 121
8, 31 sq. ... 120 n. 1
10, 4 168
11, 25 109
Epod. I 17 sqq. 160
II 20 174
V 9 138
10 154
79 sq. 126
XIIII 13 ..... 150 n. 1
XV 5 sq. 168
XVI 34 124
XVII 6 (11 sqq.). 128
Sat. I 7, 26 sq. 178
10, 62 178

Digitized by Google

pag.

Sat. II 2, 40..... 130
5, 8..... 142
8, 95..... 160
Epist. I 1, 52..... 172
2, 24 sq..... 134
2, 59..... 131
II 3, 29 sq..... 125
3, 30..... 124

Lactantius.

de av. Phoen. 155 sqq. 165

Lucanus.

I 168 sqq..... 146 n. 1
230..... 143
572 sqq..... 133
II 162 sq..... 131 n. 1
271 sqq..... 171
III 285 sq..... 147
286 sqq..... 146 sq.
545..... 148
605 sq..... 120
IIII 549 sqq..... 123
634 sq..... 134
V 217 sqq..... 181
234 sqq..... 182 n. 1
336 sq..... 181
405..... 155
711 sqq..... 163
739..... 191 n. 1
VI 205..... 170
253 sq..... 103
286 sqq..... 141 n. 1
343 sqq..... 105
VII 479..... 175
519..... 148
779 sq..... 112
VIII 599 sq..... 153
VIIII 284 sqq..... 139
690 sq..... 171
696 sq..... 171
799 sq..... 142
827..... 143
857..... 171
902 sqq..... 164
X 89 sq..... 120
111 sq..... 119
135..... 104
151 sqq..... 146 n. 1
215 sqq..... 182

Lucretius.

I 31 sqq..... 118
284 sqq..... 179
288 sq..... 179
404 sqq..... 153
II 627..... 177
822 sqq..... 124
III 182 sq..... 135
203 sq..... 135
243 sq..... 135
289..... 186 n. 1
785..... 125
842..... 125
1029 sqq..... 148
1042 sqq..... 188
IIII 962 sqq..... 136
984 sqq..... 136 n. 2
987 sqq..... 137
1024 sqq..... 137
1097 sqq..... 137
1127..... 181
V 22 sqq..... 122
96..... 108
111 sqq..... 108
396 sqq..... 108
889..... 104
931 sq..... 149
939..... 149
1073 sqq..... 150 n. 1
VI 608 sqq..... 180
906 sqq..... 118
1097..... 144
1138 sqq..... 144
1155 sq..... 144
1222..... 144
1235 sq..... 144

Ovidius.

Her. V 28 sq..... 123
47 sq..... 169
VII 36..... 153 sq.
X 1..... 153
81 sq..... 143
XI 9..... 185 n. 1
XV 145..... 178
228 sqq..... 103
XVII 69..... 117 n. 1
71 sqq..... 187
185..... 182
XVIIII 55 sq..... 189
Am. I 2, 25 sqq..... 109
7, 43..... 178
15, 33..... 138
15, 34..... 172
II 4, 33..... 119
5, 37..... 168
5, 39 sq..... 173
5, 40..... 174
6, 55..... 162
9, 6 sqq..... 128
9, 29 sqq..... 142
14, 35..... 154
14, 36..... 154
16, 11..... 150 n. 1
16, 41 sq..... 169
III 3, 9..... 189
5, 11 sq..... 178
Am. III 7, 8..... 177
8, 3..... 172
11, 47..... 102
A. A. I 11 sq..... 126
15 sq..... 126
59..... 189
95 sqq..... 166
209 sq..... 148
254..... 172
440 sqq..... 128
627..... 162
645 sq..... 130
647 sqq..... 130
655 sq..... 130
682..... 127
694..... 127
II 375..... 155
376 sq..... 160
465 sq..... 161
659..... 117 n. 1
721..... 186 n. 2
III 106..... 117 n. 1
148..... 181
177..... 181
249 sq..... 167
299..... 172
321 sq..... 122
405 sqq..... 146
617..... 130
786..... 148
Rem. Am. 41 sqq..... 128
141 sq..... 176
365..... 175
367 sq..... 175
369 sq..... 175
Med. fac. 33 sq..... 162
Met. I 100 sqq..... 149
151 sqq..... 129
179 sq..... 104
259..... 104
270 sq..... 176
286 sq..... 179
296..... 125
302 sq..... 125
438 sqq..... 107
459 sq..... 107
498..... 186 n. 1
499..... 189
502..... 183
624..... 130
695..... 119 n. 1
II 160..... 184
167 sq..... 108
202 sqq..... 108
210 sqq..... 108
321 sq..... 190
398 sqq..... 108
722 sq..... 188
849..... 104
852 sq..... 178

Digitized by Google

pag

Met. III 33..... 186 n. 1
79..... 178
80..... 179
106 sqq..... 123
138 sqq..... 113
184 sq..... 119 n. 1
209..... 183
420..... 189
463..... 114
511 sqq..... 113
522 sq. 113
664 sqq..... 109
691 sqq..... 111
704 sq..... 150
712..... 113
715 sq..... 113
725 sqq..... 113

IIII 332..... 173
347 sqq..... 186 n. 2
365..... 168
439 sqq..... 180

VI 63 sq..... 176

VII 32..... 154
528 sq..... 144
532 sq..... 144
536 sq..... 144
548 144
552 sq..... 144
775..... 143
777..... 143

VIII 79..... 172
120 sq..... 154
162 sqq 180
284..... 186 n. 1
286..... 142
373..... 177
373 sq..... 178
826 sqq..... 180

VIIII 340..... 174
613..... 154
615..... 154

X 99..... 168
211..... 174
588..... 143

XI 1 sq..... 122
85 sqq... . 132
368..... 186
589 sqq..... 176
615..... 170, 172
771 sq..... 153

XII 51..... 175

XIII 324..... 123
546 sq..... 155
798..... 182
800..... 178
803..... 160
805 sq..... 153
806..... 183
812..... 172

pag.

XIIII 37 sq..... 125
124..... 103
128..... ... 103
448..... 182 n. 1

XV 93 130
385..... 189 n. 1
392 sqq... ... 165
674..... 186 n. 1

Trist. I 1, 99 sq... 128
3, 73 sqq.. 145
4, 11 sqq.. 142
5, 47..... 189
5, 48..... 172
8, 1 sq... 123
8, 2..... 124
8, 40..... 154
8, 43 sq... 154

II 19 sqq.. 128
33 sqq.. 104

III 5, 31 sqq.. 159
5, 37 sqq.. 127
5, 45 sqq.. 128
11, 3. ... 154
11, 39..... 131 n. 1
11, 39 sqq.. 131
11, 51 sqq.. 131

IIII 1, 55..... 172
2, 59..... 135
5, 29 sq... 121
10, 108 sq... 189

V 1, 31..... 172
1, 53..... 131
2, 15 sq... 128
2, 27 sq... 183
6, 43..... 172
6, 44..... 183
7, 17..... 114
12, 47 sq... 131

ex Pont. I 6, 51 sq.. 124
6, 52.... 125
7, 31 sq. 121

II 2, 109 ... 103
4, 27.... 124
5, 37 sq.. 178
5, 49 sq.. 190

III 1, 117.... 117
3, 95 sq.. 124
6, 41 sq. 131

IIII 5, 43.... 123
6, 45 sq.. 123
6, 47 sqq. 124
12, 35.... 125

Ib. 33 sq..... 125
38 sqq..... 125
395 sq..... 131
427 sq..... 123
435 sqq..... 131
543 sq..... ... 123

Hal. 3..... 152

pag.

Hal. 79 sq..... 153
110..... 172

Fast. II 84 sqq..... 122
209 sqq..... 152
221 sq..... 179
291..... 149
489..... 104
775 sqq.. .. 181
842. 102

III 646..... 153
741 sqq..... 139

IIII 417 sqq..... 151
459 sqq..... 151

V 39 sqq..... 129
385 sq..... 126
591... 148

VI 111 sq..... 119 n. 1

Propertius.

I 4, 7 sq..... 119
14, 11..... 172
14, 12..... 173
14, 13..... 138
19, 13... 119

II 2, 6..... 117, 119 n. 1
3, 5..... 125
3, 5 sq..... 124
3, 10..... .. 168
3, 14..... 186 n. 1, 189
5 11..... 182
9, 33..... 182

III 1, 13 sq..... 148
6, 22 sq..... . 146
7, 33..... 123
7, 34..... 125
14, 3..... 108
20, 11 sqq..... 131
29, 5..... .. 107

IIII 8, 31 sq..... 145
13, 13 sq..... 132
18, 6..... 123
24, 7.... .... 119 n. 1

Seneca.

Herc. f. 70 sqq..... 121
170..... 182
218 sq..... 186 n. 1
283 sqq..... 106
374..... 125
377 sq..... 182 n. 1
572 sqq..... 122
683 sqq..... 179
1022..... 186 n. 1
1046 sqq..... 169
1183 sqq..... 102

Herc. Oet. 104..... 102
145 sq.... 154
235..... 134

Digitized by Google

pag.

Herc. Oet. 238 sq.... 189
241 sq.... 155
271..... 138
284 160
335 sq.... 125
336 sq.... 124
675 sqq... 109
710 sqq... 181
801 sqq... 175
808..... 186 n. 1
1036 sqq... 122
1582..... 125

Ag. 93 sqq.... 174
400 sqq..... 104

Med. 28 sqq..... 123
83 sqq..... 110
86 sq..... 107
96 sqq..... 188
99 sq..... 173 n. 1
284..... 137 n. 1
344..... 175
404 sq..... 125
405..... 123
407..... 153
408..... 134
583 sq..... 185
862 sqq..... 155

Oed. 133..... 144
281..... 125
315 sq..... 176
424 sqq..... 110
449 sqq..... 110
455 sqq..... 110
508..... 125
600..... 170
603..... 182
607..... 182
738 sqq..... 123
811..... 174
1004 sqq..... 112
1584 sq..... 125

Phoen. 85 sq..... 123
86 sq..... 125
428..... 143
430 sqq..... 190

Phaedr. 364..... 186 n. 1
379..... 186
558..... 153
570 sqq.... 125
654..... 186
736 sq..... 183
739 sq..... 190
743 sqq.... 188
749..... 190
816 148
1040 sq..... 186 n. 1
1072 sqq.... 140
1112..... 189
1123 sqq.... 174
1169 sq..... 131 n. 1
1192..... 138

pag.

Tro. 448..... 186 n. 1
536 sqq..... 152
838..... 182 n. 1
1104 sq..... 148
1106 sq..... 131 n. 1
1108 sq..... 131 n. 1

Thyest. 476 sq..... 125
478 sq..... 125
479 sq..... 125
497 sqq..... 153
867 sq..... 125

(Oct.) 219..... 117
222 sq..... 126
545..... 117 n. 1
546..... 117, 119 n 1
706 sq..... 117

Sidonius Apoll.

VII 405 sqq..... 108

Silius Italicus.

I 358 sqq..... 191
461 sqq..... 191
687 sqq..... 141
II 37..... 148
73 sqq..... 132
173..... 184
289 sqq..... 141
319..... 104
431..... 186 n. 1
501 sq..... 149
610 sq..... 133
636 sqq..... 120
III 292..... 184
307..... 178
620 sq..... 122
IIII 6..... 184
201 sq..... 172
326 sq..... 115 n. 1
438 sqq..... 115 n. 1
525..... 179
621..... 170
VI 220..... 186
VII 139 sq..... 179
253 sqq..... 116
362 sqq..... 189
476 125
477..... 125
555 sq..... 146 n. 1
639 sq..... 190
646 sq... 148
691..... 104
VIII 428 sq..... 183
430 sqq..... 132
VIIII 327..... 148
444 sq..... 189
X 10 sq..... 183

pag.

X 11 sq..... 143
108 sqq..... 164
438 sq..... 102
XI 181..... 153
219..... 186
329 sq..... 186 n. 1
584..... 114
XII 184 sqq..... 117
230 sq..... 173
247 sqq..... 187
278 sq..... 114
355 sqq..... 135
458 sqq..... 155
461..... 175
684 sq..... 175
XIII 116..... 177
242..... 183
623..... 102
XIIII 143 sq..... 182
446..... 175
488..... 183
594..... 144
XV 27..... 186
275 sq..... 119
572 sqq..... 178
573..... 143
679 sq..... 189
715..... 178, 183
768..... 148
XVI 33 sqq..... 188
119 sqq..... 145
336..... 183, 184 n. 2
482..... 143
500 sq..... 183
562..... 183
XVII 66..... 148
122 sqq..... 178
184..... 103
399..... 186 n. 1
410..... 186
549..... 175
646 sqq..... 110
653..... 145

Statius.

Ach. I 34 sq..... 147
116 sqq..... 126
162..... 172
163..... 104
165 sq..... 107
212 sqq..... 161
308 sqq..... 174
313 sqq..... 150
503 sq..... 103
580 sqq..... 127
758 sqq..... 132
II 130..... 114
154 sqq..... 126

Digitized by Google

pag.

Theb. I 92..... 190
293... .... 183 sq.
535 sq..... 119 n. 1
562 sqq..... 107
II 35 sqq..... 171
128 sqq..... 155
236 sq. .... 119 n. 1
410 sqq..... 160
454 sq..... 122
III 41 sqq..... 138
51 sq..... 139
188 sqq..... 112
221..... 115
225 sq..... 186
262 sqq..... 118
295 sqq 118
424 sq ..... 115 n. 1
593 sq..... 181
671 sqq..... 179
693 sq..... 154
IIII 56 sq..... 133
132..... 185
220 sq..... 170
249... 152
312..... 183
315 sq... .. 155
652 sq..... 110
735 sqq..... 171
V 11 sqq..... 162
144 sqq..... 132
437 sqq..... 120
440..... .. 189
704 sqq..... 116
VI 245..... 152
288.... 183, 184 n. 2
306..... 182
310. 184
364..... 143
407..... 178
408..... 190
423..... 177
450 sqq..... 141
521..... 184
546..... 143
580..... 183
596 sq..... 143
598 sqq..... 153
787 sq..... 154
806..... 181
VII 3 sq..... 104
72 sq..... 115 n. 1
86 sqq..... 181
333 sq..... 182 n. 1
339..... 143
529 sqq..... 159
553..... 123
VIII 82 sq..... 104
123 sqq..... 159
337 sq..... 108
412..... 148

pag.

VIII 592 sqq..... 159
595 sq..... 159 sq.
689..... 143 n. 1
705..... 170
VIIII 124 sq..... 143
532 sqq..... 170 n. 1
703..... .. 104
739 sqq.. 158
X 11 sqq..... 141
245 sqq..... 116
361..... 102
574 sqq..... 166
XI 28..... 157 n. 1
532..... 186 n. 1
XII 155..... 131 n. 1
156..... 131 n. 1
156 sq..... 131 n. 1
514..... 162
515 sqq..... 162
523..... 114
733 sq..... 115
736 sqq..... 160
790 sqq..... 111

Silv. I 1, 3 sq..... 129
1, 103 189
2, 19 sqq.... 177
6, 21 sqq.... 177
6, 53 sqq.... 132
II 1, 8 sq..... 155
4, 26 sq..... 162
6, 30 sq..... 128
6, 35 sqq.... 188
III 1, 130 sq..... 129
1, 156 183
2, 64 sqq.. . 126
3, 97..... 177
3, 98 sq..... 170
4, 96..... 172
5, 44 119
IIII 2, 46 sq..... 115
3, 100..... 176
6, 47 sqq.... 129
V 1, 46 sqq.... 169
1, 150 sqq.... 169

Tibullus.

I 8, 31..... 172
II 2, 15 sq 173
III 4, 25 sq..... 119
29..... 186
51..... 137 n. 1
86..... 134
87..... 134
89..... 134
90..... 154
91..... 148

Valerius Flaccus.

pag.

I 367..... ... 120
611..... 191
II 184 sq..... 186 n. 1
453..... 181
459..... 157 n. 1
III 89..... 115 n. 1
263 sqq..... 112
587 sqq..... 154
IIII 368 sq..... 174
499 sq..... 130
V 163 sqq..... 175
VI 163..... 183
167..... 170
631 sqq..... 179
VII 23 sqq..... 176
25..... 185
581 sq..... 181
644 sqq..... 115
VIII 115 sq..... 176

Vergilius.

Ecl. I 6 sqq..... 103
59..... 124
60..... 125
III 66..... 150 n. 1
82 sq..... 176
IIII 55..... 122
V 76..... 124 sq.
VI 30..... 122
VII 42..... 142
Georg. I 246..... 125
281 sqq.... 129
451 sqq.... 176
II 18 sq..... 169
105 sq..... 172, 183
III 193.. .. 183 sq. n. 2
194..... 142
196 sqq.... 184 n. 2
496..... 144
539..... 153
IIII 64 sq..... 139
170 sqq.... 104
262..... 181
312 sq..... 177
Aen. I 52 sqq..... 116
318 sqq..... 118
498 sqq...119 n. 1, 127
589..... 102
590 sqq..... 173
607..... 123
II 210..... 186 n. 1
305 sqq.... . 179
355 sqq..... 156
379 sqq..... 160
497 sq..... 179

Digitized by Google

		pag.
II	540 sqq.	128
	626 sqq.	170
	682 sqq.	145
	794.	183
III	35.	115
	45 sq.	167
IIII	31.	191
	143 sqq.	107
	367.	154
	470.	133
	700 sq.	176
V	88 sq.	176
	242.	143, 183 sq.
	277.	186 n. 1
	319.	183
	448 sq.	169
	525 sqq.	191
	588 sqq.	134
	609 sq.	176
	657 sq.	176
	724.	191 n. 1
VI	287.	130
	300.	186
	309 sq.	170
	453 sq.	187
	702.	183
	708 sqq.	166
	804 sq.	110
VII	31.	182 n. 1
	448 sq.	186 n. 1
VII	476.	191
	526.	167
	526 sq:	186 n. 2
	526 sqq.	182
	718 sq.	183
	765 sqq.	121
	769.	121
	807.	183
VIII	160.	104
	223.	184
	424 sq.	129
	445 sqq.	129
	557	114
	589 sqq.	190
	620 sq.	185
	659.	172
	680 sq,	185
VIIII	30 sqq.	180
	106.	104
	668 sq.	177
	679 sqq.	137
	703.	186 n. 1
	816.	182 n. 1
X	115.	104
	248.	143, 183
	264 sqq.	162
	270 sq.	185
	270 sqq.	189
	272 sq.	190
	324.	104
X	391 sq.	120
	603.	178
	603 sq.	185 n. 1
XI	405.	123
	492 sqq.	150
	601 sq.	167
	611.	147
	648 sq.	132
	649.	118
	659 sqq.	132
	751 sqq.	164
XII	4 sqq.	154
	64 sqq.	173
	84.	177 sq., 183 sq.
	102.	186 n. 1
	203 sqq.	125
	247 sqq.	164
	331.	115
	334.	183, 184 n. 2
	335 sqq.	115 n. 1
	345.	183, 184 n. 2
	523 sqq.	178
	578	147, 148 n. 1
	587 sqq.	166
	663 sq.	167
	733.	184
	856 sqq.	143
	923.	183
(Cir.)	387	174

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

JAN 19 1899
NOV 15 1901
MAY 17 1904
MAY 29 1905

Digitized by Google

Widener Library
3 2044 098 631 039



Digitized by Google